tæ vocantur, & ejuſdem regionis promontorium, in quo A ſpelunca, per quam aditus erat ad inferos. *Eraſm. in Adag.*

Corcyrenſium plebs bello Peloponneſiaco optimates Spartanis addictos expulerat. Exules occupato monte Hiſtone, oppidanos crebris excurſionibus infeſtantes, ab Athenienſium claſſe ex improviſo occupati, in Ptychiam inſulam deducti, cùm inde fugam molirentur, Corcyrenſibus tanquam pacti violatores traditi fuerunt. Ædificio quodam incluſi, ad inimicorum libitum ſub cuſtodia non ſinguli, ſed deni, vicenive, ad ſupplicium educti, cum multa exprobratione fœdè trucidati ſunt, præter paucos, qui vel cruoris ſatietate, vel quia non tanta invidia, ut cæteri, eminebant, ſine cuſtodia intus relicti, ædificium, priuſquam animadverteret quiſquam, interiore parte occluſerunt: inde Athenienſium fidem fruſtra implorantes, in ſe majora adhuc multitudinis odia irritarunt: tum conſcenſo ab iis, qui ad eorum miſſi erant, cuſtodiæ faſtigio, tegulis, atque aliis omnifariam telis ſupernè dejectis, velut ruina quadam obruti ſunt. Eorum quidam ne vivi caperentur, ſpicula, & ſagittas in ſe miſſas B jugulo admoverunt. Alii reſtibus, quas ex ſuis veſtibus fecerant, ſuſpendio mortem præoccuparunt. *Sabellic, lib. 6. & 7. Ennead. 3.*

Dinocrates, & Meſſeniorum locupletiſſimi, Philopœmenem ducem fortiſſimum Achæorum, jam ſeptuagenarium, in bello captum, repugnante plebe, veneno peremerunt. *Pauſanias in Arcadicis.*

Athenienſibus Cherſoneſum oppugnantibus, Perſæ noctu cum Artaycle, & Oebazaro ducibus fugam capeſſunt. Ubi dies illuxit, Cherſoneſitæ è turribus rem Athenienſibus indicant, portaſque patefaciunt: Oebazarum in Thraciam fuga delatum, Abſynthii Pleſtoro indigenæ Deo ritu ſuo immolarunt. Artaycles cum filio ſuper Ægos fluenta captus, Seſton eſt retractus, ubi circa Helleſpontum, qua Xerxes ponte copias trajecerat, filio ante oculos lapidibus obruto, ipſum Xantippus dux Athenienſium tribus tigillis humi defixis ſuſpendit. *Sabellic, lib. 2. Enneadis 3. Herod. lib. 9.* qui Oebazum vocat.

Philistus ex Japygia ſuppetias Dionyſio à Dione Syracuſis obſeſſo venit. Pugna navali victum Philiſtum, C Ephorus ait dum navis ejus capitur, ſibimet ipſum manus intuliſſe. Timonides verò tradit, Philiſtum impacta in terram navi vivum in poteſtatem veniſſe: ac primùm exuiſſe Syracuſanos eum thorace, denudatoque illuſiſſe jam ſeni, inde caput demiſiſſe, & corpus pueris tradidiſſe, ut per Acradinam traherent id, & præcipitarent in Latomias. Timæus ex claudo, ait pueros Philiſti cadaver religatum per urbem rapuiſſe, irridentibus iis, qui contemplabantur crure trahi ab Syracuſanis eum: qui non debere dixerat ex tyrannide Dionyſium citato fugere equo, ſed crure raptum. Quamvis Philiſtus id, ut ab alio dictum non ab ſe ad Dionyſium, vulgaverit. *Plut. in Dione.*

Capta ab Alexandro Gaza, ſævitum eſt non minùs quàm Tyri in captam multitudinem, cæſaque Perſarum, & Arabum circiter viginti millia. Bœtis, qui urbi præerat (Joſephus Abiſnaſim vocat) ingentem circa ſe edidit hominum ſtragem, vivuſque è media cæde abſtractus, contumaci vultu, ad conſpectum irati regis conſtitit. Offendit ea conſtantia victoris animum, ut juſta ira in rabiem exierit. Trajecto itaque per talos loro, curru alligatum citatis equis crudeliter per urbem diſtraxit. Achillis exemplum, D à quo prognatus eſſet, imitari ſe dictitans. *Sabell. lib. 6. Enn. 4.*

Carthaginenſes, milites Romanos, martis certamine in ſuam poteſtatem redactos, navibus ſubſtraverunt: ut earum carinis, ac pondere eliſi, inuſitata ratione mortis barbaram feritatem ſatiarent, tetro facinore pollutis claſſibus ipſum mare violaturi. *Val. Max. lib. 9. cap. 2.*

Hannibal Romanos captivos, oneribus, & itinere feſſos, prima pedum parte ſucciſa relinquebat: quos verò in caſtra perduxerat, paria fratrum, & propinquorum jungens, ferro decernere cogebat: neque antè ſanguine explebatur, quàm ad unum victorem omnes redegiſſet. *Valerius Maximus lib. 9. cap. 2.*

Haſdrubal, Carthagine obſeſſus à Scipione, cujus urbis partem Megaram Romani milites occuparant, productis in hoſtium conſpectum ex arce Byrſa omnibus Romanis captivis, partim eorum effodit oculos, quibuſdam linguam, nervoſque deſecuit: multis genitalia hamata ferramento divellere nixus eſt, nonnullis ex pedum planta cutem abraſit, aliquos penitus excoriavit, atque ita affectos ab urbis muris laqueo ſuſpendit. Quòd feciſſe creditur, ut omnem ſpem veniæ Carthaginen- E ſibus præriperet, cogeretque ad extremum deſperatione certare. Quo fœdiſſimo ſævitiæ exemplo ingens eſt odium ipſi duci à ſuis popularibus conflatum, & Carthaginenſes ad pugnam timidiores facti, ne pari ſupplicio Romani capti afficerentur. Haſdrubal ubi ſe ſuorum odiis flagrare ſenſit, ſenatorum ferociſſimum quemque, in eam ſævitiam reclamare auſum, interfecit: per quæ, velut tyrannus ſuper alia mala civitati ortus, formidoloſus erat ſuis. *Sab. lib. 5. Ennead. 5. & Suidas.*

L. Caſſius cum legatis, & ſociis regibus, ad Amneon fluvium ingenti prælio à Mithridate victus eſt. Oppius à Leodicenſibus Mithridati traditus, ignominioſè cum lictore, qui præcedebat, per hoſtium caſtra eſt circumductus. Mannius Attilius legatus, conflati belli cauſa, aſino vinctus ſedens circumvectus, præcedente tibicine, inde liquefactum aurum ejus faucibus infudit rex, avaritiam Romanis exprobrans. Hac victoria Mithridates elatus, non ſolum Bithyniam, Bithyniæque adjacentes terras, ſed Phrygiam, Pamphyliam, & cæteras gentes ad Joniam uſque armis ſubiecit. *Idem lib. 3. Enneadis 6.* F

M. Fabio Ambuſto, & T. Quintio Coſſ. Tarquinienſes acie victi, quotquot vivi capti ſunt, præter 358. nobiles, qui Romam miſſi ſunt, cæteri ad unum trucidati. Nec mitior propterea factus eſt populus in eos, quibus armatus miles pepercerat, in foro virgis cæſi, ad unum ſecuri ſunt percuſſi. Idque pro Romanis in Tarquinienſium foro immolatis, eſt pœnæ hoſtibus repenſum. *Idem Env.*

Inter alia, quæ contra Chriſtianos Licinius Imperator crudeliter edixit, illud truculentiſſimum fuit, ne qui illis, qui in cuſtodias conjecti eſſent, humanitatis, aut officii quicquam exhiberent: nec miſericordiæ quicquam, ſi in famis periculum incidiſſent, impenderent: ſupplicium interminatus, quo, qui miſericordiam præſtitiſſent, perinde punirentur, atque ii quibus eam declaraſſent: vinculiſque, & carceribus incluſi, pari ſupplicio cum afflictis afficerentur, qui aliquid humanitatis, aut relevationis in eos conferre deprehenſi eſſent. *Socrates lib. 1. cap. 4. & Sozomenus lib. 1. cap. 7.* G

Sub Anaſtaſio Geta Macedoniam, Theſſaliam, Epirum diripiunt, multoſque abegerunt captivos. Pro quibus redimendis cùm aurum mitteret Imperator, & pecuniam haud idoneam hoſtium votis: Barbari captivos aut in domibus ſuffocarunt, aut pro mœnibus in conſpectu multitudinis trucidarunt. *Cuſp.*

Valerianus Imperator haud multò pòſt, quàm Chriſtianum nomen inſectari eſt adortus, ad Perſicum bellum profectus, ſive aliena fraude id acciderit, ſive ſua ipſius temeritate (nam utrumque traditur) in hoſtium poteſtatem vivus venit. Ferunt, ſaporem Perſarum regem, à quo captus eſt, adeò inſolenter, & barbarè captivo ſeni (erat enim Valerianus ſeptuagenarius) illuſiſſe, ut pro ſcabello ejus tergo uteretur equum conſcenſurus. In ea igitur cum turpi captivitate tandem conſenuiſſe, ſcribunt *Lætus, & Aurelius Victor. Euſebius in Sermone ad conventum ſanctorum, & Agathius lib. 4. Gothorum,* excoriatum, & ſale conditum à rege ſcripſit.

Cosrores regnum Mauritii Imp. ope recuperavit, Perſarum ſex millia cepit, eoſque ad ſe ductos confodi juſſit. In quorum numero & Turcæ erant, qui ſub Bara meruerant. H Nam tum primùm nomen Turcicum auditum eſt. *Cuſp.*

Ibancus, qui ab Alexio Angelo, Byzantino Imp. defecerat, ad eam progreſſus eſt immanitatem, ut in compotationibus captivos Græcos membratim diſſecaret. *Nicetas lib. 3. de imperio Angeli Alexii.*

Avares, ſive Hunni, ductu Cacani regis capto, & everſo oppido Forojulii, cùm Longobardos captos in ſuos fines traherent, pollicebatur ſe captivos in Pannoniæ finibus patriis collocaturos, nam ex Pannonia Longobardi venerant. Ubi verò in campum, quem Sacrum appellant, ventum, eſt (eum enim locum futuræ cædi deſtinaverant) continuò omnes dato ſigno trucidarunt. *Sabell. lib. 4. de Vetuſt. Aquil. ex Palmerio, Sigeberto anno 216. Paulo Diacono, Blondo lib. 9. Decadis 1. Sig. lib. 2. regni Italici.*

Basilius II. Imperator præclara victoria contra Samuelem Bulgarorum regem potitus eſt. Captivi 15. millia adducti omnes excæcati ſunt, uno è ſingulis centuriis relicto monoculo, qui reliquos duceret: dehinc omnes juſſit ad propria

pria reverti. Quos cùm Samuel vidiſſet, animo deficiens, hu- A mi procidit. Paululùm pòſt ad ſe reverſus, ſtomachi dolore correptus obiit tertio die, fœdo ſpectaculo conſternatus, unico relicto filio Gabriele, qui & Romanus dicebatur. *Cuſpin. è Zonara.*

Bello, quod Gulielmus Siciliæ rex Iſaacio Angelo Imperatori Græcorum anno 1175. fecit, ultrà quatuor millia Siculorum in carceres ſunt incluſa: quibus cùm nihil ab Imperatore Iſaacio, aut aliunde ſuppeditaretur præter panem, qui pietatis ergò à nonnullis ſubminiſtrabatur, malè perierunt. *Nicetas lib. 1.*

Genselicus rex Vandalorum, direpta Roma, prædam in naves impoſitam in Africam deportavit. Quarum quæ ſtatuas devehebat, adverſa tempeſtate vexata interiit: reliquæ incolumes portus Africæ tenuerunt. Cùm autem opes infinitas, ac populum ingentem in Africam devexiſſet, prædam inter Vandalos, & Mauros, Victore teſte, ita diviſit, ut maritos ab uxoribus liberos à parentibus ad cumulandam miſeræ captivitatis acerbitatem magna inclementia ſepararet. Quod ubi Deogratias Carthaginis Epiſcopus, paulò ante precibus Valentiniani creari ab eo permiſſus, B audivit, vehementi dolore ſolicitatus, vaſa ſacra emenda, ingenuos redimendos, parentibus liberos, viris uxores reſtituendas curavit: atque eis baſilicas duas Fauſti, & varii cum lectulis, & ſtramentis, ad cubandum attribuit: ægrotiſque, quæ neceſſaria erant, miniſtravit, medicis, cibiſque, ac medicamentis opportunis exhibitis. Verùm & hæc ſubſidia poſt biennii ſpacium Epiſcopi mors immatura ſubduxit. *Sig. lib. 14. Imp. occid.*

Chajanus, vel Cacanus rex Avarum, Hunnorum, & Sclavinorum, irruit cum magno exercitu in Dalmatiam. Mauricii Imp. dux Priſcus exercitum ejus cæcidit. Fugit Chajanus ad propria, & alium exercitum colligit, quo inſtructus in Myſiam irruit. Tandem Conſtantinopolim adeò preſſit, ut Byzantini de relinquenda Europa cogitarent. Multis autem Romanis captis, & urbibus depopulatis, iram divinam metuens, quæ ipſi uno die ſeptem filios peſte abſtulerat, de redimendis captivis cum Mauricio agit, & pro ſingulis unum nummulum tantùm poſcit. Verùm Mauricius ſubiratus noluit quicquam ſolvere. Tunc Chajanus omnes occidit, & ad propria rediit. C *Paul. Diacon. lib. 17. ſub Mauricio.*

Agilulfus, Longobardorum rex, fruſtra obſeſſa Roma, pactis induciis abiit, & captivos Romanos ſecum abducens quaſi canes funibus collo implicitis traxit, atque inde in Franciam vendendi cauſa tranſmiſit. *Sig. lib. 1.*

Tartari captivos quoſdam ſibi ſervire cogunt, cæteros Turcis, aliiſque negotiatoribus vendunt, virginibus reſervatis. Senes autem, & infirmos juvenibus, velut canibus lepores, exponunt, quò prima militiæ tyrocinia inde addiſcant. Eos itaque illi, aut ſagittis veluti ſcopum petunt, vel obtruncant, decollant, lapidibus obruunt, in aquaſque præcipitant. *Guagnin. in deſcript. Tartariæ.*

Angli fugato Ivaro, Danorum regis Regneri, multis victoriis etiam contra Carolum Magnum clariſſ. F. in Hellam Hamæ à Regnero olim cæſi filium regis contulerant poteſtatem. Regnerus Hellam, Gallicana virtute ſubnixum, poſt extractam in triduum pugnam fugavit. Pòſt verò Hybernorum ſubnixum auxiliis, prælio navali adortus, comprehenſus, atque in carcere ſerpentibus objectus eſt. Cujus adeſo jeci- D nore, cùm cor ipſum funeſti carnificis loco coluber obſideret, omnem operum ſuorum curſum animoſa voce recenſuit, ſuperiori rerum contextui, hanc adiiciens clauſulam: Si ſuculæ veris ſupplicium ſciſſent, haud dubiè irruptis haris afflictum abſolvere properarent. Quo dicta Hella adhuc nonnullos filiorum ejus vivere interpretatus, quieſcere carnifices, amoverique viperas juſſit. Sed priuſquam ſatellites ſubveniſſent, extinctus eſt, & bellica, & civili virtute clariſſ. Sed hanc immanitatem Regneri filii ſeveriſſimè ſunt ulti, quandoquidem bello captum ferociſſimæ aquilæ roſtro, & unguibus laniandum poſuere. *Saxo. lib. 9.*

Sobieslaus II. Friderici à Friderico I. Imper. ſibi in regno Boemiæ ſubſtituti triplices copias mira felicitate ſuperaverat. Captus in pugna eſt Germanus Tribunus militum, vir ſtatu corporis ſuper cæteros eminens, eoque procerior viſus, quòd equo prægrandi, & cataphracto, ipſe cataphractus inſidebat. Hic cùm ad Sobieslaum perductus eſſet, in medio caſtrorum eum ſtatui, & circum tumulum aggeſta manibus militum terra erigi, totumque cum equo adobrui juſſit, acceptam à Cæſare injuriam, hac nova calumnia cum crudelitate conjuncta ſe ulciſci jactans. Extat in hanc diem E tumultus ita in plano ibi ſitus, ut congeſtitius, non autem à natura factus eſſe videatur. *Dubr. lib. 13.*

Anno 1469. in Valachia opportunitate locorum utentibus Valachis cum Stephano Palatino, profligati Tartari ter retroceſſerunt, filio ducis ſui Maniaci amiſſo. Quem captum, dùm ad patrem minaci legatione repeteretur, Stephanus præſentibus centum legatis diſſecari, & mox ipſos quoque legatos palis ſuffigi juſſit, uno excepto, quem truncato naſo, & auribus, nuncium rei geſtæ ad Maniacum remiſit. *Crom. lib. 27.*

Boemi duce Ciapcone Polonis contra Cruciferos ſuppetias tulere. Derſavia expugnata, & multis hoſtium captis; ex his quicumque Boemici generis fuerunt, Ciapco revertens, ut ſibi condonaretur, impetravit, traditos, graviter, quòd Teutonibus contra Polonos ejuſdem ſecum linguæ, & originis militarent, corripuit, pyraque ingenti extructa exuſſit. Ejus exemplum ſecutus Joannes Straſſus Bialaciovius, piratas ſeu nauticos homines in ergaſtulo concluſos, quorum non exiguus numerus inter præſidia Cruciferorum fuit, circumjecta palea, & arida F materia, ſuccendit. Et effregerunt ii quidem ergaſtulum ligneum: ſed cùm effugere vellent, adverſis haſtis à Polonis excipiebantur: donec Michalovius ſuperveniens cædem eorum repreſſit, ignemque reſtrinxit. *Idem libro 20.*

Dracula Tranſylvanus, Turcis ſæpè captivis cute pedes exuiſſe, contuſoque ſale præfricuiſſe, mox lingentes ſalſis plantis capras adhibuiſſe, quæ linguæ aſperitate cruciatum augerent, perhibetur. *Bonfin. lib. 10. Dec. 3.*

Bello Liguſtico IV. Venetis captivis, qui Genuæ erant, ita malignè victus ab hoſte ſuppeditabatur, ut pauciſſimis diebus ad 350. inedia expirarint, quorum corpora in mare ſævus hoſtis projecit. Fuerunt qui crederent venenum eis datum; quo cibariis mixto, uno tempore quamplurimi extincti eſſent. *Sab. lib. 7. Dec. 2.*

Bajazetes, anno 1498. menſe Octobri, Schenderum Baſſam cum 10. millibus equitum in Forumjulium miſit, atque ea loca excurſionibus infeſtari mandavit. Schenderus licèt aliquantulum infirmus eſſet, Tiliaventum tamen, ac Liſon- G tiũ læta flumina vadavit, ac inſtar fulguris celeriter in Tarviſinum uſque agrum populabundus proceſſit. Sed enim, cùm eos omnes, quos captivarat, abducere ſecum non valeret: in Tiliaventi ripa caput hominibus plus quater mille amputare juſſit. Nec Veneti Proviſores, quos vocant, Turcas unquam invadere auſi ſunt: id quod in cauſa fuit, ut ipſi Turcæ liberè, quà libebat, vagantes Venetiis adeò propinqui effecti ſunt, ut è montibus eminentioribus urbis ſitum contemplari potuerint. *Jovius in vita Bajazetis II. & Guicciardinus lib. 4.*

Chriſtiani Latini Antiochiam Syriæ metropolim oppugnabant. Sed cùm in caſtra confluerent Græci, Cappadoces, Armenii, Syri, & aliæ gentes noſtræ religionis: Turcæ quoque, aut Turcicarum rerum ſtudioſi, periti linguarum earum, inſtitutorumque, mutato cultu caſtra ſimul ingrediebantur, conſiliaque Latinorum explorata perferebant ad ſuos: ut nihil jam arcanum foret. Cùm ea de re duces conſilium haberent, cenſerentque aliqui conſtituendum eſſe ſanctius, ac magis arcanum paucorum delectiſſimorumque concilium: Boe- H mundus Tarentinorum dux: Ego, inquit, vos hac cura levabo, proripienſque è cœtu procerum, produci juſſit, quos Turcarum captivos in cuſtodiam tradiderat: hos pro caſtris propalam jugulatos verubus figi, & ſubiectis prunis torreri juſſit, mirabundiſque omnibus clara voce dici: Id eſſe Boemundi obſonium, pœnaſque de ſpeculatoribus, exploratoribuſque ſumptas. *Æmil. lib. 4.*

Cæſis, captiſque ad Budam Chriſtianis, Solymannus Imperator Turcarum, rex alioqui clementiæ laudem quærens, & nunquam anteà in noſtros crudelior, è conſpectu abductos captivos ſuprà octingentos tyronibus trucidandos dedit, truci nutu, & ſæva voce prolocutus: talem eos omninò mereri pœnam, qui cùm per legatos nequaquam ſincerè de pace agerent, aſtutè bellum intuliſſent. Eminebat inter captivos excelſæ proceritatis Noricus miles: hunc in contemptum Germanicæ gentis, pumilioni, qui erat in deliciis filiorum, capite præalta captivi genua vix adæquanti, occidendum tradidit, ita ut indignæ necis injuriam crudeli contumelia cumularet. *Jov.*

Petrus quidam Calix, Hiſpanus miles, cùm plus, quàm quatuor Indorum millia in captivitatem adduxiſſet, quorum multi partim inedia, partim dolore concepto in via morerentur: infirmos ex itineris labore penitùs defatigatos, milites gladio miſerè trucidari maluit, quàm ut vivos à ſe dimitteret. Nihil verò tunc æquè miſerabile fuit, ac matres pueros in collo geſtantes, vinctas, & à milite vi ſtupratas aſpicere. Fertur tum militum quoſdam, præ nimia in illas luxuria, morbo contracto planè fuiſſe vitiatos. *Joannes Metell.*

Fr. Almeida, Indiæ prætor, anno MDIX. profligata Sultani Ægyptii claſſe in India, Cananorem petiit, & in arcis conſpectu facinus barbarum, & immane fecit, quo magnam partem decoris ſui bonorum judicio deformavit. Nam Sultani milites, quos jure belli ceperat, qui tanquam ſervi illius non ſolùm dominatu, verumetiam patrocinio tenebantur, partim ſuſpendi, partim tormentis dilacerari juſſit. *Oſorius lib. 6. rerum Emmanuelis.*

LUDOVICUS XII. Francorum rex, captum, & in Gallias abductum Ludovicum Sforciam, Inſubrum ducem, erepto omni ſcribendi, & quæ cuperet legendi ſolatio, ferrata in cavea omnium miſerrimum mori coegit. *Jov.*

In pugna Papienſi, Gallicus dux Palicia, dum ſuffoſſo equo annis, ac armis gravantibus ad Helveticos ægrè ſe recipit, ab equitibus Cæſarianis intercipitur. Sed eum jam ſupervenienti Caſtalio deditum, Vaſurtes Hiſpanus, quaſi tanti captivi precium, & laudem equitibus invideret, appoſito ad thoracem craſſiore ſclopeto, crudeliter interfecit. *Jov. lib. 6. in Piſcario.*

Venetis Ferrariam oppugnantibus eruptione à civibus facta multi à nobilibus capti ſunt, & inter eos Hercules Cantelmus eximiæ expectationis juvenis, cujus majores olim in regno Neapolitano Soræ fuerant duces, à quibuſdam Illyricis militibus in triremem captivus perductus: ac dum cujus ipſorum eſſe deberet, diſſidium inter eos ortum eſſet, ab uno illorum, inaudito barbaræ immanitatis exemplo, ei miſerè caput eſt truncatum. *Guicciard. lib.* 8.

Bernandus Caprera, mortuo Martino rege, Siciliæ regnum affectans, cùm Blancam reginam ter rapere conatus eſſet, tandem proditione captus, à Sanctio regiæ claſſis præfecto in ciſternam vacuam demiſſus, laxatis ad immenſam pluviam cadulcis, rivis in ciſternam defluentibus, innatante lecto, non procul à vitæ periculo fuit. Hinc in liberaliorem cuſtodiam deductus cum cuſtode liberationem magna pecunia pactus, tertia vigilia noctis, fune caligis complicatis, nulla amictus tunica, è feneſtra turris demittitur: ac dum celeriùs, quàm manus ferunt, lubrico fune delabitur, adaptatis ad id retibus induitur, & ritu feræ caſſibus captæ hæſit: ita ut, nec ſeſe deiicere, etſi præceps caſus erat, poſſet, nec receptus in feneſtram ullus daretur. Integra nocte, & die retibus involutus, ridiculum ſimul, ac miſerandum plurimis ſpectaculum fuit. Cui acceſſit, ut cùm ad tranſitum notorum, atque honeſtorum virorum faciem vellet avertere, prohiberetur, ne illis poſteriora oſtenderet: nec quòd cibo, & potu caruerit eo die, doluit, ſed quòd ea, quæ niſi remotis arbitris decorè non fiunt, præſentibus arbitris facere non licuit. Tandem veſperi eodem receptus unde fugerat, ad Ferdinandum Aragonum, & Siciliæ regem vinctus perducitur in Cataloniam: apud quem in priſtino honore habitus fuit, *Valla lib. 2. Hiſtoriarum.*

Joan. Baſiliades, Moſchorum tyrannus, ad Tartarorum decemnovem magnates bello captos, & ibi in carceribus detentos trucidandos, præfectum ſatellitum Malitam Scuratovu miſit. Tartari in deſperationem adacti, quòd cultellos in manicis abſconditos ſinguli haberent, ſeſe defendere cœperunt, unuſque eorum Malitam cultello perfodit: quatuor à ſatellitibus occiſi, 20. graviter vulnerati, reliquique fugati. Magnus dux ſtatim quingentos ſclopetarios in ſubſidium ſatellitum miſit: quibus Tartari confecti, & membratim diſſecati, in profluentem abjecti ſunt. *Alexander Guaguin.*

Lituani anno MDLXIX. urbem, & arcem Izborg ceperant. Et jactura offenſus Joan. Baſiliades Moſchorum tyrannus, omnes bello captos Polonos, Lituanos, & Ruthenos, libertatis falſa ſpe è carceribus emiſſos, in Vvolga fluvio ſubmergendos curavit. Uxores, & liberos eorum triduo pòſt eodem genere lethi crudeliſſimè ſuſtulit, cùm diris minis ipſas ſemetipſas in fluvium media hyeme præcipitare cogeret. *Alex. Guaguin. in Moſcovia.*

Bello Sacro Gallico tertio, Ludovicus Borbonius Condæus princeps, inter Engoliſmam, & Caſtrum novum loco iniquiore à regis exercitu circumventus, cum vix quinque equitum ſignis comitatus hoſtium aciem perrupiſſet, ab equitum Germanorum cuneo, qui in latus incurrerat, equo occiſo dejectus, à nobili Gallo Sanjoannis nomine, pòſt etiam ab Argenceo agnitus, & in fidem acceptus eſt. Ibi cùm fama ſpargeretur, Condæum captum, Monteſquius, qui ducis Andium, fratris regis, ac hoſtilium copiarum præfecti, excubitoribus præerat, ſuperveniens, à tergo parte averſa captivi principis caput, quod galea nudarat, globulo trajecit.

PATRIÆ. ERGA

Hoſpites, Peregrinos.

Buſyris Ægyptius tyrannus, hoſpites immolare ſolitus erat. Propter quam crudelitatem ab Hercule Ægyptiorum rege interfectus eſt, ut copiosè ſcribit *Diod. Sicul. lib.* 5.

DIOMEDES Thraciæ rex ſæviſſimus, ſolitus equis immanibus obiicere hoſpites, quem illis eiſdem objecit Hercules. Hujus ſoror fuit Abdera, quæ urbem ſibi cognominem poſuit in Thracia, Democriti patriam. Fuit haud procul Diomedis turris. Græci hos equos turpes filias fuiſſe ajunt, quibus admiſceri cogebat hoſpites, mox tollebat. Palæphatus ad comeſa patrimonia refert, propter equorum curam, ſicut de Actæone, & canibus. *L. Vives in lib. 18. Auguſt. de Civitate Dei cap. 16.*

AMICITIAM. ERGA

Amicos.

CLITUS, ſummus, & amicus, & conſiliarius Alexandri Magni vocatus à rege ad cœnam, cùm audiret Pranychi cujuſdam, aut, ut alii volunt, Pieronis carmina in duces aliquot Macedones decantari, qui pridem victi à barbaris fuerant: & Alexandrum etiam ejuſmodi cantores libenter audire, jam vino gravis fremuit, negans convenire, præſertim inter barbaros, & hoſtes. Macedones, etiamſi infeſta fortuna uſi eſſent, ab hujuſmodi hominibus ludibrio haberi. Haud ultrà iræ par Alexander Clitum primò malo percuſſit, pòſt ablata cuidam ſatelliti haſta transfixit. *Plut. in Alex.*

JOAN. Baſiliades magnus dux Moſcorum Ophanaſio Vviazimski (quem unicè diligebat) propoſitum ſuum de occupanda Novogrodia revelarat, ita ut bis aliquando per noctem de lectulo ſurgens, ad eum conſultandi gratia ambulare non gravaretur: & quamvis Italum medicum Arnolphum amaret, tamen non niſi per manus Ophanaſii medicinam ſumeret. Ophanaſius Hreorum quendam Lovuezik dictum, magno Duci inſinuaverat. Ille verò ingratiſſimus Ophanaſium apud magnum Ducem falsò detulit, quaſi arcanum ſibi creditum de vaſtandis Novogrodenſibus, & Tuverenſibus revelaſſet. Dux quadam die diſſimulato odio cum Ophanaſio conſilia conferens, ſatellitibus ſuis, ut ſervos ejus præcipuos trucidarent, imperavit. Ophanaſius oculis averſis diſſimulans præteriit. Mox juſſu Principis bonis omnibus ſpoliatus, & ex familia ejus decemſeptem viri nobiles occiſi ſunt. Hinc in locum publicum, ubi debitores baculis cæduntur, productum, ut theſauros reconditos indicaret, qualibet die bis, terve crura baculis verberari præcepit, ita ut cutis inſtar tympani intumeſceret: donec tormentis eò adactus eſt, ut cives aliquot Moſchovicenſes locupletes ſibi magnam ſummam pecuniarum debere mentiretur, quam illi ſummam principi numerare compulſi ſunt. Neque hoc exatiatus, ipſum multò crudeliùs torqueri juſſit, donec præ nimiis verberibus ſpiritum exhalavit. Servos ejus reliquos trucidavit, virgines uxori pediſſequas, quadraginta numero, acu pingere peritiſſimas, forma præſtantiores, ad explendam libidinem rapuit anno MDLXX. *Alex. Guaguin. in Moſcovio.*

Amaſios.

Cùm Bellerophon, propter occiſum Bellerum Argis exilio mutans, Tirynthem perveniſſet. Prœtique regis hoſpitio eſſet uſus: Anthea regis uxor, adoleſcentis amore correpta, cœpit illius animum ad ſtuprum ſollicitare, & ſui copiam obtulit. Ille ubi flagitium recuſaſſet, hoſpitii religione motus, illa prior occupans, verſoque in odium amore muliebri, Bellerophontem apud maritum occultè detulit, tanquam ab illo fuiſſet de ſtupro interpellata. Quod ubi perſuaſiſſet, quo ad poterat regis animum in perniciem juvenis inſtigabat, ſemper ad aurem occinens illud Homericum:

τεθναίης ὦ Προῖτ', ἢ κάκτανε Βελλεροφόντην. *id eſt.*

Aut morere Prœte, aut interfice Bellerophontem.

Prœtus velut officii cauſa Bellerophontem ad Jobatem hoſpitem mittit, additis literis velut in illius commendationem ſcriptis. In his mandabat Jobatæ, ut juvenem quoquo pacto tolleret è medio. *Eraſm. in Zenodoto.*

Quidam tradunt Hippodamiam, Myrtili aurigæ amore correptam, cùm is mulieri conſentire nollet, amore in odium verſo, tanquam ſuæ pudicitiæ inſidiaretur, eum apud Pelopem maritum accuſaſſe, Pelopem re diſſimulata, in anguſto, & præcipiti litore equos agentem in ſubjectum pelagus præcipitaſſe, quod inde Myrtoum ſit dictum. Myrtilus moriens, diris imprecationibus Pelopis domum proſecutus eſt. *Euſtathius Iliad. β.* ubi Hom. τέλοπα πλήξιππον appellat.

TRAMBELUS Telamonis F. Apriaten Lesbiam per inſidias rapiens, cùm votis ejus ſatisfacere nollet, in mare præcipitavit. *Parthen. in Erot. c. 26.*

Hialto, inter regios Danorum proceres ſpectatæ probitatis, ea nocte, qua Rolvo Danorum rex ab Hiarthuaro Sveco per dolum cæſus eſt, ruri ſcorto operam dabat. Ubi verò per noctis ſilentium armorum ſtrepitum audivit, properè regi opem ferre parabat. Diſcedentem pellex percontari cœpit, ſi ipſi quid humanitùs accidiſſet, cujus ætatis viro nubere deberet? Hialto indignatus amoris ſibi ſucceſſorem jam quæri, præciſo naſo eam deformavit, & liberam ſe ei optionem relinquere dixit. *Saxo l. 2.*

Ovid. 6. Faſt.

Filia carpento patrios initura penates,
Ibat per medias alta, feroxque vias.
Corpus ut aſpexit, lacrymis auriga profuſis
Reſtitit, & tali corripit illa ſono.
Vadis, an expectas pretium pietatis amorum?
Duc, inquam, invitas ipſa per ora rotas.
Certa fides facti eſt dictus Sceleratus ab illa
Vicus, & æterna res ea preſſa nota eſt.

Hoſtes vivos.

☞ *Quæ erga Captivos exerceretur ſævitia, qui clementiæ ſpe ſe dediderant, hujus etiam loci eſt, quatenus Hoſtes ſunt. Exempla pete ex Tit. Victoriæ inſolentis, item Fidei hoſtibus non ſervatæ.*

DAVID cùm urbem Ammonitarum Rabbatha cepiſſet, populum univerſum, nullius ætatis, aut ſexus habito diſcrimine, à ferratis curribus, atque equis dilaniari in fruſta, atque proteri juſſit. Quam ſævitiam quamvis juſtam, ſæpiùs quoque poſteà in multas ejus gentis urbes exercuit. *Fulg. l. 9. c. 2.*

Manahem, Gad Fr. cùm Sellum tyrannum interfeciſſet, & Iſraelitarum regnum occupaſſet, Thapſam urbem, quæ ei parere recuſabat, expugnavit, omnibuſque cæſis gravidas mulieres dilaniavit. 5. *Reg.* 15.

AMASIAS Judæorum rex, in valle Salis occidit X. Syrorum millia: totidemque vivos cepit, & de rupe præcipitavit. 2. *Paral.* 25.

Medorum princeps Darius, primus Babyloniorum deſtruxit imperium occiſo Balthaſar nepote Nabucodonoſori, qui Evilmerodach F. fuit. Tantam autem ſcribit propheta Medorum, & Perſarum ſævitiam, ut ardore ſanguinis effundendi aurum, argentumque contemnerent, & oblatas opes pro luto reputarent. *Hieron. com. in l. 5. in Iſaiam, c. 13.*

NABUCODONOSOR Chaldæus, capta Hieroſolyma, Sedeciæ regis Judæorum filios omnes, & principes nobiles in conſpectu ejus Reblathæ interfecit, ipſum oculis excæcavit, & catenis vinctum, Babylonem abduxit. *Jeremiæ 39. & 53. & 4. Reg.* 25.

Virg. l. 8. de Mezentio.

Mortua quin etiam jungebat corpora vivis,
Componens manibuſque manus, atque oribus ora,
Tormenti genus, & ſanie, taboque fluentes
Complexu in miſero, longa ſic morte necabat.

HERCULES florenti adhuc ætate regem Eubœæ Pyræchmen, bellum Bœotiis inferentem, cùm viciſſet, pullis equinis alligavit, ut in duas diſcerperetur partes. *Plutar. in Parall. ex 3. de Fluminib. libro.*

Capta Troja Menelaus Deiphobum, poſt Alexandri interitum Helenæ maritum, exectis primò auribus, brachiiſque ablatis, dein naribus, ad poſtremum truncatum omni ex parte, fœdatumque ſummo cruciatu necavit. Priamum Neoptolemus ſine ullo ætatis, honoriſque reſpectu, ad aram jugulavit. Caſſandram Ajax Oïlei ex ſacro Minervæ Captivam abſtraxit. Hoc modò conſumptis cum civitate Barbaris, deliberatio inita ſuper his, qui ad deorum aras auxilium vitæ imploraverant: decretumque ab omnibus, uti per vim avulſi necarentur. Tantus dolor injuriæ, & ob id ſtudium extinguendi nominis Trojani inceſſerat. Per templa, ac ſemiuſtas domos populatio rerum omnium, ac per dies plurimos, ne quis hoſtium evaderet, ſtudium inquirendi. Ad coacervandum auri, atque argenti materiam opportuna loca deſtinata, & alia ob precioſam veſtem. *Dictys l. 5.*

Minos victis Athenienſibus crudele tributum imperavit, ob interfectum in Attica ipſius filium Androgeum. Cùm enim juſſi fuiſſent ab oraculo, ad avertendam ſterilitatem, & morbum, quibus premebantur, ut legatis ad Minoa ablegatis ſe ipſi reconciliarent: ille tale fœdus cum eis fecit, ut tributum novem annis mitterent ſeptenos impuberes adoleſcentes, totidemque virgines. Pueros in Cretam deportatos horrendiſſima fabula jactat in Labyrintho Minotaurum peremiſſe, vel vagantes, ne invenire valentes exitum, ibidem mortuos. *Plut. in Theſea.*

Nominant orobum Tralliani catharterem, eòque potiſſimùm in procurationibus, & expiationibus utuntur. Leleges enim quondam, & Minyæ his exactis oppidum, & agrum eorum inſederunt. Pòſt reduces Tralliani, victoreſque, quotquot ex Lelegibus non fuerunt abſumpti, neque profugerunt, ſed propter inopiam, & imbecillitatem remanſerunt ibi: horum nulla ratione habita, viverent, an interirent, lege ſanxerunt: Siquis Trallianus Minyam, vel Lelegem necaſſet, id ne fraudi eſſet, ſi medimnum oroborum interempti neceſſariis eſſet admenſus. *Plut. in Quæſt. Græcis.*

Artoxerxes rex Perſarum, victo Cyro fratre, duces obtruncavit cæteros, eoſque canibus, & alitibus laniandos objecit. Clearchi Spartani ducis cadaveri venti procella cumulum terræ excitavit, atque injecit corpori, idque contexit, quo loco enato palmeto brevi eximium nemus excrevit, ac locum eum inumbravit. Itaque magna ductus eſt pœnitentia rex, quòd virum diis charum peremiſſet. *Plut. in Artoxerxe.*

Civitas Athenienſium, indigno gloriæ ſuæ decreto, Æginenſium juventuti pollices abſcidit: ut claſſe potens populus, in certamen maritimarum virium ſecum deſcendere nequiret. *Valerius l. 9. c. 2. At Cælius l. 16. c. 27. ex Æliani l. 2. de Varia hiſtor.* cauſam affert, ut ne geſtare haſtam poſſent, poſſent autem remis uti. Cujus crudelitatis auctorem facit Philoclem prætorem *Plutarchus in Lyſandro.* Mytilenæos ἡβηδὸν, id eſt, indiſcriminatim, vel cum puberibus jugulari ſtatuerunt, & Cleæne quidem auctore, Cleæneti filio. Bello Peloponneſiaco Melios obſidione domitos, deditoſque, præter imbellem multitudinem, quam ad ſervitutis ignominiam ſervarunt, ad unum omnes ferro confecerunt, colonis Melum ex Africa miſſis. *Sabell. l. 7. Enn. 3.*

Pericles Chalſedenſes, Hippobotas dictos: item Eſtienſes omnes exterminavit, eòque coloniam deduxit Athenienſium: hac uſus in eo ſævitia, quòd illi navi quadam capta Attica, omnes, qui in ea erant contrucidaſſent. *Plutarch. in Pericle.* Terram eorum, quæ Hippobota dicitur, in XL. portiones forte diſtribuerunt, reliquam elocarunt, captivos affecerunt vinculis, ac contumeliis compluribus. *Ælianus l. 6. de Varia hiſtoria.*

Obſeſſi ab Athenienſibus Samii, nono menſe fecerunt deditionem: quorum muros Pericles diruit, naves ademit, atque ingenti ſumma pecuniæ eos mulctavit. Duris Samius unum addit (de quo tamen nihil meminit nec Thucydides, nec Ephorus, nec Ariſtoteles) trierarchos, claſſiarioſque Samios in forum Mileſiorum Periclem produxiſſe, & aſſeribus X. dies alligaſſe, demùm ſemianimes jam juſſiſſe fuſtibus concidi capita, atque ita eos interfici: inde inſepulta proiici cadavera. Verùm enim verò videtur Duris, quò invidiam Athenienſibus conflaret, atrociùs patriæ intendiſſe calamitates. *Plut. in Pericle.*

Belli Peloponneſiaci anno IV. Platæenſes omnium rerum inopia domiti, urbem ultrò Lacedæmoniis dedidere, judices ſe eos habituros profeſſi, qui de noxiis, ſi ita videretur, ſupplicium ſumerent, iidem indemnatum neminem occiderent. Ita conditione recepti, haud multò pòſt ad eorum conſpectum conſtituti, qui ex Lacedæmone miſſi fuerant, ut Platæenſium cauſam cognoſcerent, rogati hoc tantùm, an quicquam de Lacedæmoniis, & ſociis eo bello bene meriti eſſent? Nihil

reſponderunt. Rurſus rogati, nunquid injuriæ Spartiatis intuliſſent? cum itidem negarent: inde abducti ad unum cùm CC. numero eſſent, juſſi ſunt interfici. Athenienſes, qui unà obſidionem pertulerant, in ſervitutem redacti ſunt. Thebani urbem Megarenſibus domo pulſis habitandam conceſſere, reſtitutis Platæenſium exulibus, qui ſecum ab initio ſenſerant. Cæterùm vertente anno à fundamentis totam diruerunt, agerque publicatus eſt. *Sabellicus libro 6. Ennead. 3. ex Diod. lib.* 12.

Lacedæmonii, Meſſeniis ſuperatis, omnium quæcunque in Meſſana erant, dimidiam partem ceperunt, & mulieres liberas in funera prodire coegerunt. Ex viris aliquos reliquerunt colendo ruri, nonnullos vendiderunt, multos etiam morte mulctarunt. *Æl. l. 6. Var. hiſt.*

Lysander Lacedæmonius Tharſum Cariæ urbem per vim cepit, ſociam Athenienſium, pubertatemque omnem ad XC. jugulavit, pueris, ac mulieribus ſub haſta venditis, & ſubruit urbem. *Diod. l.* 13. Victis ad Ægos flumen Athenienſibus, captivorum tria millia interfecit. Hinc urbes circumvectus, quos offendit Athenienſes, his imperavit, ut concederent omnes Athenas, parſurum ſe denuncians nemini, quem extra urbem deprehendiſſet. Id agebat, atque in urbem cunctos redigebat, eo conſilio: quò brevi ingentem famem, & arctam annonam ibi efficeret, ne affluente commeatu obſidionem ferentes, eam redderent ſibi laborioſam. Jam deleto paſſim populi jure, & aliis reipublic. formis harmoſtas Lacedæmonios ſingulis oppidis reliquit, prætereà ex conflatis ab ſe per oppida ſodalitiis denos rectores. Ut jam laborari Athenis intellexit fame, Piræeum decurrit, compulitque urbem ad deditionem, & coegit pacem quibus vellet conditionibus accipere. Ephororum decretum ita habet: Magiſtratus Lacedæmoniorum hæc decrevere. Piræeum, & longos muros demoliminor, omnibus oppidis exceditote, agrum veſtrum colitote. Hæc ſi faxitis, pacem habetote. Quæ oportet, datote: fugitivos redditote, de navium numero quicquid ſtatuere videbitur, id facitote. Hanc ſytalam Athenienſes Theramene Anconis auctore acceperunt. *Plut. in Lyſandro.*

Philopœmenes, qui Lacedæmonios Achæorum concilio adjunxerat, incuſans neſcio quid Lacedæmonios exules prætor in urbem reduxit, XXC. Spartiatas occidit, ut auctor eſt Polybius (ut verò tradidit Ariſtocrates, L. ſupra trecentos) moros demolitus eſt, magna parte agri mulctavit eos, eamque attribuit Megalopolitanis. Quicunque adſcripti à tyrannis in civitatem Spartanam fuerant, exterminavit, & in Achajam abduxit omnes: extra tria millia; quos dicto non audientes & excedere abnuentes Lacedæmone ſub haſta vendidit. Hinc quaſi ad illorum ludibrium ex ea pecunia ædificavit Megalopoli porticum. Quò autem magis indulgeret ſuo in Lacedæmonios odio, Lycurgi inſtitutionem ſolvit, compulitque pueros, & adultos, quaſi ex Lycurgi legibus nunquam moderatos ſpiritus geſturi eſſent, patriam cum Achaica commutare diſciplinam. Qui cùm in temporis calamitatum mole Philopœmeni quaſi nervos civitatis præbuiſſent incidendos, ſubacti, cicurati, & fracti fuerunt. Cæterùm aliquanto pòſt beneficio pop. Rom. relictis inſtitutis Achaicis, priſtina, quoad ejus fieri poterat reduxerunt. *Plut. in Philopœmene.*

Achæi, Arato prætore, Mantineorum (qui cum Spartanis faciebant) potiti urbe, Antigoni regis ope, clariſſimos, & primores civitatis contrucidavere. Cæteris partim ſub corona vendidere, partim in Macedoniam miſere compedibus vinctos, pueros, & feminas in ſervitutem abripuere. Coactæ ex illorum ſectione pecuniæ tertiam partem ipſi inter ſe partiti ſunt, duas partes diviſerunt Macedonibus. Mox ubi urbem illam Argivi dono ab Antigono acceperunt, atque eò deducere ſtatuerunt coloniam: Aratus ad id delectus, & prætura fungens, decretum fecit: ne deinceps Mantinea, ſed diceretur Antiogonia, ut in hanc uſque diem dicitur. Ita videtur illius opera amabilis Mantinea in totum expuncta: manet autem cognomen urbi tractum ab illis, qui eam deleverunt, & ſuſtulerunt cives. *Plut. in Arato.*

Philippus Macedo, victis ad Cheronæam Thebanis, captivos non ſolùm non dimiſit, ſed interfectorum etiam corpora vendidit, principes civitatis alios percuſſit, alios in exilium egit, bonaque omnium occupavit, exulibus ad tercentum numero reſtitutis, quibus civitatis adminiſtrationem permiſit. Mirum eſt, Philippum ea in Thebanos ſævitia uſum, & quòd non plus vetus hoſpitium apud eum, quàm præſens injuria valuerit. Triennio Philippus puer Thebis fuerat, atque ex Epaminondæ conſuetudine ea conſecutus creditur, per quæ poſteà tantus Imperator extitit. *Sabell. l. 3. Ennead.* 4. Græci metuentes eum, ſe in ejus fidem dedidere Thebani, Megarenſes, Corinthii, Achivi, Elienſes, & Eubœi. At eos Philippus omnes, præter jus, & æquitatem, in ſervitutem redegit. *Ælian. l. 6. de Var. hiſt.*

Mortuo Alexandro Magno, Perdiccas expeditionem fecit adverſus Ariratham, Cappadociæ adminiſtratorem. Is enim non obediens Macedonibus, ab Alexandro neglectus fuerat, quippe Daricis certaminibus diſtracto. Perdiccas prælio cum eo congreſſus, atque victor, interfecit ad MMMM. vivos cepit totidem, Ariaratham captum, ejuſque cognatos omnes excruciatos crucifixit. Victis autem conceſſa ſalute, compoſitiſque rebus Cappadociæ, tradidit ſatrapiam Eumeni Cardiano. *Diod. l.* 18.

Dionysius Syracuſiorum tyrannus, ob denegatum ſuis commeatum Rheginos XI. menſes obſidens, & omne eis auxilium, commeatumque intercipiens, gravi omnium rerum eos preſſit penuria, ſic ut frumenti medimnus quinque minis væniret. Primùm igitur equos, & alia jumenta in alimentum adhibere cœperunt: poſtea verò ipſis quoque coriis, ac pellibus maceratis, & coctis pro cibo utebantur: poſtremò urbem egreſſi, herbas circa murum creſcentes pecudum inſtar depaſcebantur, Dionyſius audita hac eorum anguſtia, non ſolùm non miſertus eſt eorum, ſed & herbas loci ejus & gramina paſſim ſuccidi ſic evelli juſſit, quò putrefacta pro cibo eſſe eis ampliùs non poſſent. Quibus malis victi, urbem tyranno tandem dederunt. *Idem. lib.* 4.

Galli, poſt acceptam ad Thermopylas cladem, in Ætoliam irruentes, Gallienſes crudeliter tractarunt: quicquid marium fuit, ad internecionem exciderunt. Senes, & parvulos ab ipſis matrum uberibus abreptos immaniter trucidarunt. Horum ſi qui erant lactis alimonia meliùs curati, ſanguinem hauſerunt, & ipſis etiam carnibus in cibum ſunt abuſi. Mulieres, & nubiles puellæ, urbe expugnata, quæ fuerunt elatioris animi, ſua ſibi manu mortem conſciverunt. Quæ ſuperſtites fuere, eas Barbari omni cujuſvis exquiſitæ contumeliæ genere affectas lacerarunt. Et earum ſanè multæ, Gallorum enſes nactæ, in eos ultrò incubuerunt. Aliæ non ita multò pòſt immaniter Barbaris in eas viciſſim irruentibus, inedia, & vigilia mortem oppetiere. Quibus neque ſpiritum exhalantibus, neque jam exanimis, quò minus libidinem explerent ſuam, illi parcebant. *Pauſan. in Phocicis.*

Antiochus Epiphanes Syriæ rex, reverſus ab Ægypto, quam metu Romanorum reliquerat, Hieroſolymam occupavit, intromiſſus à Menelai factione, innumeroſque trucidavit. Anno ſecundo poſt captam urbem Olymp. CLIII. ſpoliato templo, & ablatis vaſis ſacri miniſterii, & inter cætera candelabris aureis, altari aureo, menſaque propoſitionis, quam vocant, ac ne aulæis quidem relictis, quæ è cocco, ac byſſo conſtabant, evacuatis etiam theſauris reconditis, ita ut nihil omnino relinqueret, conjecit Judæos in luctum maximum, nam & quotidiana ſacra juxta legis præſcriptum vetuit eos facere; direptaque tota urbe, habitatores partim necavit, partim captivos unà cum liberis, & uxoribus abduxit, uſque ad X. millium numerum. Incendit etiam ædificia pulcherrima, & demolitus mœnia, in inferiore urbe arcem condidit (erat enim editiore loco ſita, ipſi templo imminens) & Macedonicum præſidium impoſuit: admixti tamen erant ex impiis Judæis ſceleſtiſſimi, à quibus plurimum vexata fuit civitas. In templo quoque ara poſita porcos mactavit, ſacrificium à Judæorum religione alieniſſimum: & cogebat omnes, abrogato veri Dei cultu, ipſius venerari numina: & oppidatim ex ſtructis templis, atque altaribus, porcinas in eis quotidie jugulare victimas. Comminatus eſt etiam gravem pœnam, ſi quis liberos circumcideret, conſtitutis, qui mandata exigerent, atque etiam vi ad ſervanda detrectantes cogerent. Et maxima quidem Judæorum pars, vel ſponte, vel metu ſupplicii parebat edictis regiis, qui verò probatiores erant, & generoſæ indolis, majorem rationem habuerunt moris patrii, quàm pœnæ intentatæ ſibi per adverſarios: quamobrem quotidie necabantur excruciati tormentis crudeliſſimis. Flagris enim cæſi, & lacerati corpora, vivi adhuc, & ſpirantes ſuffigebantur crucibus. Uxores autem eorum, & circumciſos liberos ſtrangulabant juxta mandatum regium, & ſuſpendebant à crucifixorum parentum cervicibus. Abolebatur etiam, ubicumque repertum eſſet ſacrum volumen aliquod, & ipſi apud quos inventum eſſet mali, malè peribant. *Joſeph. lib. 12. cap. 7.*

Alexander Jannæus, Hieroſolymorum Rex, proditione capta Gaza, primò pacatus introgreſſus eſt, deinde immiſit in oppidanos militem, permiſſa ſæviendi licentia, ac paſſim Gazæi trucidabantur: nec tamen illi moriebantur inulti, ſed repugnantes invaſoribus non pauciores Judæos interimebant. Alii verò deſolatas priùs ædes incendebant, ne hoſtis præda potiri poſſet: quidam etiam ſuiſmet manibus uxores ac liberos contrucidabant, ne in captivitatem abſtraherentur. Senatores autem numero D. in Apollinis confugerant (fortè enim ſenatus habebatur, cùm hoſtis intromiſſus eſt) quibus jugulatis, & diruta inſuper urbe reverſus eſt Hieroſolyma, anno poſtquam caſtra ad Gazam admoverat. *Idem. lib. 13. cap. 21.*

Carthaginenſium Duce Himilcone Siciliam vaſtantium inaudita crudelitas. Nulla immanes animos commiſeratio movebat, nulla conditio, nulla ætas captivos tuebatur: nihil cuique prodeſſe, nulli parcere, ſed immani crudelitate variis infelices cruciatibus dilaniare, alios cruci affigere, alios per contumelias, & intolerabilia probra vexatos diſtorquere. *Diod. lib.* 13. Nota eſt eorundem in Regulum immanitas, à *Silio lib. 6.* decantata.

Hannibal ab Ægeſtanis contra Selinuncios in Siciliam accitus Selinuntem expugnatam diruit: nullo genere crudelitatis omiſſo. Ad XVI. millia mortalium cæſa. Inde Himeram cum omnibus copiis proficiſcitur, ſummo deſiderio eam urbem evertendi, quod propter eam pater ſuus exul erat: avus verò Amilcar caſtris ad eam poſitis per fallacias, & artes bellicas à Gelone deletus fuerat cum exercitu, in quo centum quinquaginta militum millia ceciderant, nec his pauciores capti, in prædam, ſervitutemque dati fuerant. Capta per vim urbe cædes à Barbaris fieri cœpta, obvios quoſque implorantes miſericordium jugulare: nec à crudelitate ceſſatum, donec ab Hannibale edictum prodiit, ut vivi deinceps caperentur. Tum ſubitò ad rapinam converſi. Hannibal ſacra deorum, templaque omnia ſpoliavit, abductiſque inde, qui ad aras confugerant, ſupplicibus, incendio cuncta vaſtavit, urbem ſolo æquavit, annis quadraginta, & ducentis ante id habitatam. Ex captivis mulieres, & pueros per exercitum diſtribuens ſub cuſtodia teneri juſſit. Viros bello captos circiter tria millia juſſit omnes in eum locum abduci, ubi antea Amilcar avus ſuus à Gelone profligatus perierat, ibique verberibus omnes, contumeliiſque affectos jugulat. *Diod. lib.* 13.

Valerius Levinus conſul, contra Hannonem ducem Carthaginenſium miſſus, Agrigentum in poteſtatem ſuam redegit: Senatum ſecuri percuſſit, cæteros ſub corona vendidit. *Volater. l.* 20.

L. Sylla inſano tenebatur ardore expugnandarum Athenarum: vel quòd æmulatione quadam umbratilem pugnam ſuſciperet cum antiqua illius civitatis gloria, vel quòd eſſet irritatus dicteriis, & ſcurrilitatibus, quibus eum, Metellamque aſſiduè ex muris deridendo, & inſultando excerbavit tyrannus Ariſtion. Urbe potitus, omnes hoſtes in Ceramicum concluſos, forte decimum quemque jugulavit. Ariſtionem Mithridatis regis legatum è templo Minervæ vi extractum necavit. Ut prætercam per urbes reliquas interfectos, qui factus in foro ſanguis eſt, totum Ceramicon uſque ad Dipylon merſit. Addunt multi & per portam effudiſſe ſuburbium. Quanquam autem numerus fuit tantus ita peremptorum: haud pauciores tamen fuerunt, qui lamentantes, & dolentes vicem urbis velut interituræ ſibimetipſis manus intulere. Id enim ad deſperationem, & timendum de ſalute adegit optimos quoſque, qui nihil clementiæ, nihil moderationis expectabant à Sylla. Sed enim hinc Midia Calliphonte exulibus orantibus, & genibus ejus advolutis, hinc quicunque ſenatorii ordinis caſtra ejus ſequebantur deprecantibus, vindicta jam expletus, poſtquam veterum Athenienſium præfatus eſt laudes, multos aut paucis, & defunctis vivos ſe concedere. Ob hanc crudelitatem phthiriaſi poſteà abſumptus creditur. *Pauſ. in Atticis, & Plut. in Sylla.*

Munatius Flaccus, Pompejani nominis acrior quàm probabilior defenſor, cùm à Cæſare in Hiſpania incluſus mœnibus Attinguenſium obſideretur: omnes ejus oppidi cives, quos ſtudioſiores Cæſaris ſenſerat, jugulatos de muris præcipitavit. Feminas quoque civitatis nominibus virorum, qui in contrariis caſtris erant, ut cædes conjugum ſuarum cernerent, & maternis gremiis ſuperpoſitos liberos trucidavit. Infantes alios in conſpectu parentum humo infigi, alios ſuperjactos pilis excipi juſſit. Quæ auditu etiam intolerabilia, Romano juſſu, Luſitanis manibus adminiſtrata ſunt: cujus gentis præſidio Flaccus vallatus Cæſari reſiſtebat. *Valer. Max. lib. 9. cap.* 2.

Romani milites omne genus vindictæ contra Judæos in Hieroſolymitano excidio deprehenſos exercuerunt. Plurimos ferro, flammis, fame enecarunt: Multos beſtiis objecere, aut in theatro inter ſe digladiari coegerunt. Specie quidem vindictæ ob bellum contra Rom. obſtinatiſſimè geſtum: at divino conſilio, ut ſanguis juſti in capita illorum redundaret. *Joſeph. lib. 7. c. 20. belli Jud.*

Judæi, qui circum Cyrenem habitabant, cùm contra Romanos, atque Græcos feliciter pugnaſſent, Andrea quodam duce, in Romanos, & Græcos milites mirum in modum ſævierunt, lacerarunt interfectorum corporum dentibus, comederunt viſcera, pinxerunt ſe hoſtium ſanguine, multos à vertice transfixere medios, multos objecere beſtiis, multos etiam inter ſe certare cogerunt, ita ut interierint hominum ad CCXXM. *Dion. Nicæus, Xiphilin. in vita Trajani.*

Constantinus Magn. an. CCCIIX. Bructeris Francorum populis regum ſuorum ſupplicia deplorantibus intulit bellum. Exercitu repentè Rhenum tranſmiſſo hoſtes inopinantes invaſit, ne copiam, ut antè, refugiendi in Sylvas haberent, atque homines, pecudeſque, quas nactus eſt, promiſcuè ſtravit, vicos incendit, puberes, quos captivos abduxit, atque indignos venia judicavit, munere magnifico edito beſtiis laniandos objecit. *Sigon. l. 2. Imp. occid.*

Scytharum quidam centeſimum quemque ex captivis immolant, ſanguinem potant ejus, quem primum cepere. Probro datur hominem non occidiſſe. Bellicis expeditionibus niſi, qui hoſtile caput ad regem detulerint, fiunt totius prædæ expertes. Sarmaticis Scytharum virginibus non prius nubere mos fuit, quàm hoſtem peremiſſent. *Sab. lib. 1. Enn.* 2.

Incolæ ejus inſulæ, quæ juxta Britanniam olim vectis, nunc Mona nuncupatur, Deos ſuos captivorum ſanguine placabant, donec Romani per Suetonium Paulinum ſub Nerone ſuperatos ad mitiorem cultum redegerunt, everſis templis, combuſtiſque ſylvis, ubi ea ſacra peragebant. *Fulg. l. 2. c.* 1.

Scordiſci cum Illyricis, & Thracibus promiſcuè ſe habuere, omnium quoque Thracum immaniſſimi, quando eorum ritu hoſtili ſanguine diis litare, ex eorum calvariis pocula fingere, gravidarumque mulierum partus tormentis extorquere, pro nullo facinore reputarunt. *Bonfin. lib. 2. Dec.* 1.

Bello Gothico Beliſarius Juſtiniani Dux in Campaniam delatus, Neapolim vigeſimo die expugnatam vaſtavit, civibus cum militibus interfectis. Increpatus pòſt ob hanc ſævitiam à Sylverio Pp. novos colonos eò miſit Cumanos, & Puteolanos. *P. Diac. rer. Rom. lib. 17. Blondus, & Procopius.*

Totila Gothorum Rex, cùm per ſeptennium urbem Peruſinam obſediſſet, & tandem expugnaſſet, cives omnes obtruncari, Herculanum Epiſcopum virum ſanctiſſimum excoriari, & capite mulctari juſſit. *Greg. Turon. lib. 3. Dial. cap.* 13. Capta ſecundo Roma tertiam partem murorum diſiecit, Capitolium incendit, omnia diripuit: & tanta paſſim feritate debacchatus eſt, ut Dei flagellum diceretur. *Egnat. lib. 9. c.* 3.

Simeon Labas, ex monacho dux Bulgarorum creatus, occaſionem contra Rom. quærens, mercatores ipſorum vectigalibus injuſtis premebat. Leo V. Imp. miſit exercitum contra ipſum. Simeon victor nares omnibus mutilavit, & mutilatos Byzantium remiſit. His injuriis laceſſitus Imperator, donis multis effecit, ut Turcæ, qui ad Iſtrum erant, quique Ugri vocantur, contra Bulgaros arma ſumerent. *Cuſp.*

Cacanus Avarum Rex, ex Norico in Italiam tranſcendens, interfecto Giſulfo Ferojulii duce Alboini Longobardorum Regis nepote, Romildam ejus uxorem, libidinoſiſſ. mulierem nuptias ejus pactus, palo affixit, oppidum diripuit, emiſſaque oppidanorum turba pluribus locis ſubjecto igni momento temporis abſumpſit, ita ut ne veſtigia quidem loci ulla hoc tempore extent. *Sigeb.* ann. DCXVI. & *P. Diac.*

Roſſi antequam fuere à ducibus Rom. Lacapeni Imp. debellati, captivorum alios in cruces egerunt, alios terræ affixerunt, alios pro ſcopo conſtituere, inque eos ſagittas direxerunt. Quicunque captivorum ſacerdotio præditi erant, eorum

capita acutis clavis perforarunt. Multa etiam templa incende- A runt. *Cedrenus.*

Anno M. CCCC. LXXXIX. per brumam ſolito acriùs rigentem, Ruſſi in Livoniam erupti one facta crudeliter deſævierunt in omnem ordinem, & ſexum. Nemo illis aciem venientibus oppoſuit: ordinis Teutonici fratres ſatiùs habuere tutari arces. Itaque infantes palis infixerunt, ubera feminis abſtulere, viros atrociter necavere: & prædis abactis, incendio relicto abierunt. *Crantz. lib.13. Vandal. c.16.*

Aripertus II. Longobardorum Rex, Ragumberti F. qui Luitpertum regno paterno privaverat, acie capto Luitperto, regi innocenti puero vitam ademit. & Sigibrando, Aſprandi, qui tutor Luitperti erat, filio, oculos eruit: & Theoderatæ uxori, atque Aurunæ ſorori miſerandum in modum naſum, aureſque vulnere fœdiſſimo detruncavit: Luitprando tantùm puero (qui poſt regnavit) ignotum, & ad patrem, qui in Bajoariam exulatum contenderat, ſe conferre permiſſum. *Sigon. lib.2. regni Ital.*

Clodomirus, Clodovei F. Aurelianenſium Rex, arma in Burgundiorum Regem Sigiſmundum cepit, quod Sugerium filium ex filia Theoderici Oſtrogothorum Regis procreatum, B ſuperinducta noverca non conferendæ nobilitatis, necaviſſet. Pugna commiſſa, deſertus ab ſuis Burgundio, ipſe, liberique, ex poſteriore uxore procreati, capti Aurelianum ducti, ac in puteum conjecti. Non multo poſt Clodomirus ulteriorem Burgundiam cum victricibus copiis penetrans, in prælio occiſus eſt. Ejus filii duo à Clothario patruo, ne in conſortium regni aliquando venirent, crudeliter necati, tertius cœnobio ſeſe ſacravit. *Æmil. lib.1.*

Rodulfus Viromanduorum Comes, uxorem juſtam repudiarat, Petronilla ſorore reginæ Leonoræ Ludovici Junioris Francorum Regis uxoris ſuperinducta. Unus Comes Campanus Theobaldus prioris uxoris cauſam defendebat. In eum Rex Ludovicus duxit, & ad iniquam pacem coegit, ut illius interceſſione interdictum à Pontifice tolleretur, ſpe facta Petronillæ dimittendæ. At quia Viromanduus recuſabat, interdicto renovato, bellum quoque recruduit. Itaque Rex Victoriacum, quòd oppidum ſub ditione Bleſenſi erat, captum diripuit, profana, ſacraque loca ſine diſcrimine incendit: in æde principe ad mille quingentos puberes, impubereſque promiſcuè combuſti, qui ſanctitate templi ſalutem tecturi, ad ararum tutelam ſupplices confugerant. Mox ſe colli- C gens, ingenti dolore, atque inde mœrore correptus, ſe afflictabat, neque ſolatiis ullis ſublevari poterat: cùm D. Bernardus ad illum venit evocatus, quòd in eo multum divinitatis eluceret, ac jam antea Rege Craſſo quercum (ut prædicabatur) ſeceſſumque diſcipulus, & nullo prætereà præceptore doctiſſimus, è ſolitudine in celebritatem, ex umbra in ſolem, ſanctitatem, eruditionemque importarat. Is cùm cauſam doloris didiciſſet, unam reſtinguendi Victoriacenſis incendii rationem eſſe aſſeruit, ſi vires omnes in Oriente ad Turcas opprimendos converteret. Itaque ad ſacram expeditionem ſuſcipiendam illum animavit. *Æmil. lib.5.*

Gregorius IX. Pp. contra Fridericum II. Imp. cruce ſignatos exciverat. Dum Romam oppugnat, captos Romanos partim quaternis ad crucis formam perfodit vulneribus, partim caput in crucis modum quadrifariam ſcidit, partim fronti crucem incidit. Clericis, detonſa in vertice corona, crucem ferro impreſſit, quorum unus inflictum vulnus nimis patienter tolerare viſus, in palearum cumulum funiculo eſt D pertractus: & cùm benedicere, ac laudare Deum perſeveraret, igni ſuppoſito eſt crematus. *Crantzius lib. 8. Saxoniæ cap.9.*

Idem Parmam obſidens, captos diverſarum partium Regienſes, Mutinenſes, Placentinos, Bononienſes, atque Hetruſcos ante urbis portas truncari, laniarique, & baliſtis majoribus in urbem ſemivivos proiici curavit. Nec à muliercularum pudore eſt temperatum, ſi quando pauperculæ in agrum delatæ, in Saracenorum, & Friderici ſatellitum manus inciderent. *Ibid. c.14.*

Henrico VI. Imp. ad occupandam Siciliam proficiſcente, erat tum Tuſculum Romanis adversùm, qui graviſſima damna ſæpè à Tuſculanis perpeſſi fuerant. Hi audientes Cæſaris adventum, auxilium ejus contra Romanos poſtulantes ſeſe dediderunt. Sed Imperator accepto diademate. Celeſtino III. Tuſculum ex pacto tradidit. Pontifex illud Romanis inconſultè tradidit, à quibus cives crudeliter mactati ſunt, pedibus, manibuſque mutilati: ſic ut, oppidi ſolo æquati veſtigia vix appareant. Saxa, ad memoriam conſervandam deſtructæ urbis in clivo Capitolino poſuerunt. *Cuſp. & Sigon.* E

Mortuo Conrado IV. Rege Rom. & Siciliæ (qui cum Friderico II. patre diris devotus fuerat ab Innocentio III. Pontifice) relicto Conradino filio puero in Germania hærede regnorum, Manfredus nothus Friderici ſub tutelæ prætextu regna uſurpavit, cùm Conradum veneno ſuſtuliſſet. Innocentius odio Friderici familiæ, armis Neapolim occupavit. In Sicilia bis à Manfredo victus, præ mœrore obiit. Clemens IV. Carolum Andegavenſem Comitem, generum Ludovici Regis Franciæ, pro aſſerendo Siciliæ regno evocat, qui Manfredum acie victum oppreſſit. Intereà Conradinum juvenem, ex Germania pro aſſerendo regno paterno cum exercitu profectum, evocante præſertim Henrico de Caſtilla Senatore Roman. Carolus acie vicit, captivorum alios ſuſpendi, alios confodi, alios perpetuis mancipari carceribus curavit. Conradinus cum Duce Auſtriæ Friderico habitu agaſonum per ſylvas oberrans, tandem imprudentia piſcatoris, qui annulum Conradini pignoris loco pro emendis panibus offerebat, proditus, à Joanne de Frangepanibus Aſturæ Domino captus, anno integro carceres ſuſtinuit. Poſt Cle- F mentis Pp. conſilio, vitam Conradini mortem Caroli, mortem Conradini vitam Caroli eſſe ſcribentis, anno 1268. 26. Octobr. Neapoli capitalem ſententiam per Robertum Barienſem ſcribam primarium (quem Robertus Comes Flandriæ ira percitus gladio confodit, quaſi majeſtatis reum) promulgari curavit, è turri procul tragœdiam hanc ſpectans. Accuſationis capita erant, Turbatio pacis Eccleſiaſticæ, Regii nominis uſurpatio, Arma contra regem ſumpta. Conradinus ad ſcribam converſus, Nebulo proditor, exclamavit, tune regis filium condemnare audes? an neſcis pari in parem nullum imperium? Mox verò pacem à ſe turbatam negavit, regium nomen hæreditario jure ſibi convenire aſſeruit, bellum pro regno paterno injuſtè ab aliis occupato ſe ſuſcepiſſe affirmavit. Adjecit poſtremò, non defuturos injuſtæ necis ultores Bavaros, & chirothecam manu detractam, in turbam projecit, inquiens Heredem meum pronuncio Fridericum à Caſtilla (erat is Henrici Senatoris frater, cujus mater Sueva fuerat) quam Eques auratus exceptam tandem Petro Regi Aragoniæ obtulit, Primus Fridericus Dux Auſtriæ capite plexus eſt: caput à trunco reſectum bis exclamavit, Maria. Conradinus illud exoſculatus, levatis in cœlum ma- G nibus veniam peccatorum precatus, ſimiliter obtruncatus eſt. Mox Comes Gerardus de Piſa, & Eques Germanus, nomine Hurnaiſo. Quatuor Barones Neapolitani ſuſpenſi ſunt. Carnificem ſtatim ſuſtulit alius, ne ſe jactare poſſet de cæde tam illuſtrium virorum. Solus Henricus de Caſtilia Senator perpetuis carceribus mancipatus eſt, ne fides Abbati Rietenſi ejus proditori data, de eo non perimendo, violaretur. Cadavera nemo tollere injuſſu Caroli fuit auſus. Vix tandem ea ſepeliri mandavit. Et ſic in Conradino Sueviæ, in Friderico Auſtriæ nobiliſſimus ſanguis defecit. Neque hac contentus crudelitate Carolus, CVI. barones, & nobiles è Neapolitano regno cepit, tres Amalphiæ præcipitavit, reliquos ſuſpendio necavit. *Collenucius lib. 4. Hiſt. regni Neapol. & Vvolſ. Hungerus in Cuſp. Cæſaribus.*

Cæſo ab Hungaris Friderico Auſtriæ Duce, Margarita, ex Leopoldo Glorioſo fratre neptis, ſuccedebat. Eam Udalricus Carinthiæ Princeps per vim occupare conabatur Moravorum auxilio. Cæterum dum captis aliquot arcibus remiſ- H ſiùs rem agit, ab Auſtriacis Bavarorum ope inſtructis ex inſidiis captus eſt, & cum eo complures Moravi, quos Bavari partim nare, partim auribus, aliquos etiam manu mutilatos dimiſere. Hoc tam fœdum, ſævumque dehoneſtamentum, Bavari paulò poſt magna ſuorum cæde, multoque regionis detrimento expiaverunt, quos illos Premislaus Othocarus mandato Venceslai patris affecit, Bavariam cum valido Boemorum, Moravorumque exercitu ingrediundo, illamque circumquaque ad uſque Danubium evaſtando, ac multos viros fortes ibidem interficiendo. *Dubr. lib. 16.*

Saxo Grammaticus ſcribit, Pomeranos (quos ille Sclavos vocat) olim à Danis comprehenſos, & crudeliſſima morte ita conſumptos, ut Dani eos, revinctis poſt terga manibus, primùm palis affigerent, deinde ventrium cava cultro rimati, nudatis extis, primaque viſcerum parte protracta, cætera ſtipitibus explicarent: nec antè ſupplicium remitterent quàm tortos,

tortos, extis funditus alvo egeſtis, ſpiritum profundere coe- A giſſent. Scribit idem, Frothonem IV. Danorum Regem adeò inſolenter Saxonibus imperaſſe, ut pro quolibet membro indicem ſervitutis ſtipem quotannis pendere cogerentur. *Jo. Magnus lib.22. c.4.*

Jarmericus Danorum Rex Teutonem Regem, & reginam, à quibus in adoleſcentia jure belli captus, ſed liberatus denuo fuerat, incendio ſuſtulit. Quadraginta Teutones captos, applicatis totidem lupis, laqueo ſuffocavit. Optimates primò tibias loris trajectos, mox immanium taurorum caudis alligatos, moloſſiſque inceſſentibus, raptim in cœnum, voragineſque pertractos; lacrymabili ſpectaculo conſumpſit, Comites, Duces, Principes Teutoniæ gentis captos, trajectis fune tibiis, equis in diverſa raptantibus, præbuit lacerandos. *Saxo.*

Ferunt, fortiſſimum Sueonum Gunnarum, olim ob graviſſimas cauſas Norvegiæ bellum tanta crudelitate intuliſſe, ut non de fortunis, & imperio, ſed de vita certamen eſſet. Rex Normannorum Reginaldus decrepitus, filiam Drotam in ſpecu claudendam curavit, cum commeatu & famulitio. Sed & gladios cum regia ſupellectile antro mandavit, ne ferri uſum hoſti relinqueret. Ad bellum deinde profectus, ſtipatorum B innixus humeris, in acie periit. Gunnarus Norvegis Regem canem dedit, ut ſuperbi populi inſolentiam reprimeret. Satrapas conſtituit, qui ſub canis titulo privata, ac publica negotia tuerentur. Statuit inſuper, ut ſi quis aulicorum canis veſtigia plenis venerationis obſequiis inſequi ſuperſediſſet, membrorum clade ſupplicia lueret. Sed & geminum genti vectigal impoſuit, autumnale, & vernale. Summa inde diligentia Drotæ latebras conſectatus, trucidatis famulis, puella cum repoſitis inibi ſpoliis potitur, quæ patrios duntaxat enſes ſecretiori cuſtodiæ tradiderat. A Gunnaro igitur ſtuprum pati coacta, filium peperit Hildigerum, paternæ crudelitatis imitatorem. Borcarus Alſi quondam Danor. Regis Sigarii F. miles, Gunnaro obtruncato, ſibi Drotam connubio ſociavit, & ex ea Haldanum genuit. *Saxo lib.7. & Crantz. lib. 1. Norveg. cap.25. Jo. Magnus lib. 23.* Attilum Sueonum regem Danis victis canem Raccho præfeciſſe ſcribit.

Maximus Britanniæ legatus, victo, cæſoque Eugenio Scotorum Rege, reliquias hoſtium benignè complexus, Ethodio Eugenii Germano, exanimi penè invento, & multis vulneri- C bus ſaucio, exactiſſima cura mederi juſſit. Luſtratas inde Siluriam, Calcedoniam, & quæ illis proximæ erant Scotorum regiones, in deditionem accepit: incolis clementer receptis in fidem, fortunis donatis & quieta pace vivere permiſſis. Tulere id egerrimè Heirguſtus Rex, Pictorumque majores, Scotorum gentis penitùs delendæ cupidi: adeòque largitionibus obtinuerunt, ut quicunque Scotici eſſent ſanguinis in Albione, proſcriberentur, regionibus eorum Britannis, atque Pictis, jam tum in Romanam fidem concedentibus, ac poteſtatem, ad culturam tributis. Scoti in Hebrides, in Hiberniam, in Orcades inſulas, in Norvegiam Daniamve abiere. Nonnulli cum Romanis militibus, in Galliam, inde, merendi ſub Imperatoribus cauſa, in Italiam. Nobiles matronæ quædam lugubri veſte flebili voce legatum adierunt, utque ſibi ſervili conditione in natali ſolo ad infelicis vitæ exitum permanere, & cum maritis cæſis communi ſepulchro includi liceret, rogarunt. At Pictis adverſantibus, etiam illæ proſcriptæ. Poſt dictam exilii diem quicunque Scotici nominis in Albione inventi fuere, diris pœnis, fœdaque occidione, D nullo ſexus, aut ætatis diſcrimine, trucidabantur. Cartandis Scotorum regina, ortu Britanna, duabus cum ancillis, & uno duntaxat ſervo ad Eugenii Regis monumentum, mœrore penè confecta, ad Legatum perducitur. Maximus miſeratus afflictæ mulieris fortunam obviam progreſſus, ad ſua genua procumbentem attollens, placidèque conſolatus, Caractonio, veteri Scotorum regia civitate donavit, permiſitque; ut quos vellet redditus, ex proximis agris ſumeret ad ſumptus. Cartandis, cùm in villam haud procul à Caractonio iter pararet, à Picticis latrunculis intercepta, cæſo ſervo, ancillis immaniter pulſatis, equis, pecunia, veſtibus, omnique muliebri mundo ignobiliter ſpoliatur. Legatus latrunculos ſuppliciis affecit: reginam Cartandem celebri comitatu reductam, apud ſe aliquot dies retinuit: cuſtodibus adhibitis, cavit, ne quis ejus illuderet pudicitiæ. Poſtridie Pictorum magnates ad Legatum ingreſſi, graviter queſti ſunt, ſuos milites, ſuaſu captivæ mulieris, & hoſtis, decreto ejus ultimis affectos ſuppliciis. Petere idcirco, ut ipſa Cartandis, in Britannia, unde ei origo erat, exularet, fortunis omnibus exuta. Cæterùm Legatus in ſententia perſtitit, & quocunque E loco habitare vellet, poteſtatem dedit, prædiis in alimenta aſſignatis. Ethodium, & cæteros ſaucios, dum Romano more curentur, Picti immiſſis percuſſoribus ſæpiùs tentarunt. Cæterùm irritis ſemper inſidiis ſaltem ut in exilium agerentur, impetrarunt. *H. Boeth. lib.6.*

Sueno Danorum Rex, victo Eldredo Anglorum Rege gemino prælio, & in Normanniam pulſo, totius gentis Anglicæ extirpandæ conſilium ceperat. Cæterùm nobiliſſ. virorum lacrymis flexus, juſſit, ut Angli nullis exinde armis utentes, aut rei ruſticæ darent operam, aut Danis ſervirent. Se ut juſſum regem cuncti conſalutantes, quicquid haberent auri publicè privativè, quicquid argenti, armorumque, ad ſe deferrent: Arces, caſtella, civitates, ac cæteras regni munitiones Danicis permitterent præſidiis. Si horum aliquod minus placeret cuivis, jugulum is pararet ad ferrum. Neceſſitate coacti Angli conditiones accipiunt: magiſtratibus omnibus dejiciuntur, Dani ſufficiuntur. Domeſtici exploratores cuilibet familiæ impoſiti, ne res novas moliri poſſent. *H. Boeth. lib.11.*

Eo bello, quod contra Davidem Scotorum Regem Stephanus Anglorum Rex geſſit, uti refert Ricardus Ha- F gulſtadenſis in vita Stephani, multos pueros congregatos Scoti occiderunt, & eorum ſanguinem in rivum effuderunt, matronas, & virgines nudas turmatim, reſticulis copulatas, lanceis, & telis ſuis compungentes, abegerunt: & poſtquam brutorum more illis eſſent abuſi, aliis barbaris pro vaccis vendiderunt. Joannes Hagulſtadenſis, etiam inquit, prægnantes cum parvulis diſſecuiſſe, anno Salutis reparatæ M. C. XXXIX. *Idem & Gulielm. Neubrigenſis lib.1. cap.24.*

Anno Salut. humanæ M. CXC. Latini Ptolemaidem receperunt, anno ſecundo obſidionis, ea conditione, ut hoſtes partem crucis redderent, quam in ea civitate eſſe ferebant, & cuncti qui in præſidio erant, cum ſingulis veſtimentis incolumes abirent. Pars civium captivorum à Philippo Francorum Rege educta, cum Chriſtianis captivis commutatur: alteram partem, quam Ricardus Anglorum Rex, deduxit, quia dominica crux non eſt reperta, idque barbarorum fraude factum credidit, momento interemit: fuerunt numero circiter millia ſeptem. Quare Ricardo vitio datum eſt, quod non ſervaſſet bar- G baros ad captivorum Chriſtianorum commutationem. *Polyd. lib.14. & Æmilius.*

Tartari, anno Salutis humanæ M. DC. XLI. duce Peta, & Batho ad quinquies centena millia Ruſſiam, & Poloniam invaſere. Diviſo inde exercitu, Peta Sileſiam diripuit, Henricum Lignicenſem ducem ad internecionem cæcidit in Moravia à Boemorum Regis Venceslai III. Olomucenſe præfecto cæſus. Bathus ad Savum Hungarorum regem Beleam IV. magna clade vicit. Quacunque ibant, pecora, homineſque trucidabant, capitaque hominum utriuſque ſexus, jubis equorum ſuſpenſa, ad terrorem obſeſſis incutiendum, oſtentabant. *Dubrav. lib. 16.* Ut villam novam ſine cruore expugnarent, primò captivos Hungaros, deinde Rutenos, & Cumanos in pugnam emiſere: ipſi pro triariis erant, ut cum alieno periculo victoriam ſibi compararent. Hungari, qui in prima acie pugnabant, cùm ſuis miſerrimè dimicare cogebantur: ridebant à tergo Tartari, & gentili hoc prælio præ nimia lætitia geſtiebant. Septem igitur dies aſſiduò pugnatum. Completa demùm foſſa Hungaricis, Rhuteniſque corporibus, Vil- H la nova capitur. Cùm omnes viros, & mulieres in ſuam poteſtatem redegiſſent, in campum ampliſſimum deduxere, diviſere bifariam, hinc ruſticos, nobiles illinc: quibus poſtquam veſtes, arma, pecunias, & ornamenta eripuere, præter duas puellas, quas ad veneris ludibrium reſervarunt, crudeli omnes feritate trucidarunt. Hi tantùm ſuperfuere, qui inter cæteros fœdati ſanguine, inter cæſorum corpora delituere. Poſt villæ novæ excidium, cœnobium Egres per deditionem ingreſſi, omnes interfecere: præter monachos quoſdam nonnullaſque matronas, formoſaſque puellas, quas explendæ libidini reſervarunt. Capto Strigonio tantam cædem patrarunt, ut nemo ex univerſa civitate præter quindecim evaſerit: in omnem ſexum, ætatemque ſævitum: ita ut vivos quoſque homines, palo adſutos, pecorum inſtar igni aſſaſſe ferantur. Ingenuæ quædam matronæ, more patrio excultæ, in palatium ſe receperant: cùm ad Tartarorum principem provocaſſent, in conſpectum illius extra urbem eductæ, ut vita

vita donarentur, ſuppliciter orabant. Sed priùs ſpoliatæ, A mox capite ad unam omnes mulctatæ ſunt. *Bonfin, lib. 7. Decad. 2.*

Hungari, cùm Arnulphi Imp. tempore Europam vaſtarent, aduſtas, quandoque ex incendio humanas carnes legerunt, lectaſque fruſtillatim devorarunt: ſæpè cùm ſedibus per pagos, & oppida graſſarentur, humanum quoque ſanguinem bibebant. Omnia crudelitatis genera ſcriptores, præter pollutam utriuſque ſexus pudicitiam, quam domi, militiæque ſemper coluerunt, in eos commentantur. *Bonfin, lib. 10. Decad. 1.*

TAMBERLANES Scytha, Tartarorum Princeps, ad deditionem vocans, antequam mœnia adoriretur, primo adventu ſigna candida conſpecto maximè in loco proponebat. Qui eo die imperata facerent, ſine inſigni injuria in fidem eos recipiebat. Poſtero die, purpurea, ut cruentam mortem ſibi obeundam ſcirent. Tertio atra, velut undique fuueſta: ut ſimul & hominum, & mœnium, tectorumque excidium cæde, ruina, igne operirentur. Ab hoc nefario inſtituto mens effera nullis precibus revocabatur. Cùm in obſidione cujuſdam urbis populoſæ, quæ prima die deditionem neglexerat, agmen puerorum, ac puellarum oleas in B manibus geſtantium, candida veſte egreſſum obviàm tyranno veniam ſupplex deprecaretur, in illos equitatum immiſit, & crudeliter conculcatos cum parentibus obtrivit. Genuenſis quidam, qui ejus familiaritate annis jam pluribus longa conſuetudine utebatur, dum rogaret, cur in ſupplices non mitior eſſet, cùm faciliùs quæ vellet, ſi non tanta uteretur crudelitate, impetrare poſſet: turbato, trucique oculorum aſpectu, furorem vultu diſtorto præ ſe ferente, reſpondit: Quid tu me hominem eſſe putas, & non Dei iram potiùs, ac orbis vaſtitatem, ac calamitatem? Proinde ocyus te hinc aufer, ni tu quoque periclitari cupias, & interrogationis tuæ pœnas dare. Abit Genuenſis, nec ampliùs in conſpectu Tamberlanis viſus eſt. Bajazethem Turcarum Imp. captum caveæ incluſit, & catenis vinctum ſub menſa inſtar canis, reliquias pro ſedanda fame colligere coegit. *Cuſp. & Æmil. l. 10.*

SALADINUS Ægypti Sultanus, Sanctam terram totam, captis Hieroſolymis, ac Ptolemaide, viciniſque urbibus expugnatis, in ditionem redegit. Guidonem Regem, & Romualdum ædituorum magiſtrum, non per lictorem, nec carnificem ſupplicio admovit, ſed manu propria trucidavit: re- C liquis, qui ex triginta millibus peditum, mille ducentis equitibus vivi capti fuere, Epiſcopis pariter, ac æditius hoſpitalium quoque præfectis, & ſacerdotibus, & quicunque ex vulgo capi potuere, juſſu ejus jugulatis omnibus. *Hector. Boethius lib.* 13. Caſtro de Vado Jacob expugnato, Templi milites ſerris medios diſſecuit, inferioris ordinis ſacerdotes capitis damnavit. Reliquæ verò Chriſtianorum plebeculæ vitam promiſit, ſi nepotem ſuum, quem bello captum in vinculis tenebant, reſtituerent. *Sigeberti Continuator ſub annum* M. CXXC.

Turcæ expugnata tempore Alberti Hungar. Regis Sinderovia, candenti ære oculis captivorum objecto, illos excæcarunt. *Bonfin, l. 3. Decad.* 4.

Valachi, qui ſub Hunniade adversùs Amuratem II. Turcarum Regem militabant, cùm viderent ſe à Pannonibus acie deſertos eſſe, mittunt caduceatorem ad Amuratem culpas deprecans, ſeque in gratiam recipi petentes. Amurates Europæ duci (quem Baſſam Romaniæ vocant) habenti milites ad XX. millia, præcepit circundare corona Dacos, & ar- D matos pœnas dare. In hunc modum miſerabiliter periere. *Chalcocond. l. 7.*

BAJAZETES I. Turcarum Rex, cùm Gallorum (quos Carolus VII. Andronico Imp. Conſtantinopolitano auxilio miſerat) exercitum, anno Salutis humanæ M. CCC. XCV. ad Nicopolim profligaſſet: Nivernenſem Comitem, ducis Burgundiæ F. Regis Galliæ fratrem, qui ferè nudus erat, juſſit ad ſe adduci, habitaque & ætatis, & regii ſanguinis ratione, non tantùm ipſum in vita ſervavit, ſed inſuper facultatem conceſſit, ut quinque ex ſuis, quos vellet, ſocios deligeret. Ubi ſelecti duces ad Comitem deducti fuere, Bajazetes cæteros omnes ad unum trucidari imperavit. Verùm Comes cùm inter eos, qui interficiebantur, Bucicardum Galliæ Mareſcallum hominem giganteæ ſtaturæ cognoviſſet, ſupplex, ac lachrymans eum quoque ſibi donari obnixè Bajazetem oravit, & impetravit. Alii autem omnes antè oculos ſex horum ſuperſtitum necati ſunt. Nivernenſis Comes unà cum cæteris captivis Pruſam deductus eſt, & ducentorum millium aureorum precio ſimul omnes redempti ſunt, eamque pecu- E niarum ſummam Jacobus Mitylenæus Princeps ſoluit. *Jovius in vita Bajazetis I.*

Chalcidem urbem in Eubœa inſula (quæ vulgò Nigropontus dicitur) cum Mahometus II. XXX. diebus obſediſſet, & continenti inſulam ponte junxiſſet: circà muros ſæpiùs dimicatum eſt atroci pugna, ut cùm Turca quadraginta penè millia hominum perdidiſſet (habuit enim in exercitu centum viginti millia) de fuga, ac obſidione ſolvenda cogitaret. Sed admonitus à ſuis, Venetas triremes, quæ cives Chalcidenſes facilè liberaſſent obſidione, metu perculſas ſubſtitiſſe, per integram noctem oppidanos prælio fatigavit, atque oppido potitus eſt. Hinc crudeliſſimè ſævitum eſt in omnem ſexum, ac ætatem: capitale erat, ſi quis ſupra XX. annos quenquam natum ſervaſſet. Magiſtratus, & cives necati diverſis locis. In foro præfectus urbis, in ædibus legatus: Paulus Hericus prætor urbis per medium ſectus fuit: quod ei venia eſſet promiſſa à tyranno cavillanti, pollicitum ſe cervici, non lateribus parſurum. *P. Andreothus in comment. de Chalcidico excidio, & Cuſp. & Sab. lib. 8. Dec. 3.*

Idem Trapezuntem terreſtri, navalique prælio oppugnatam F domuit. Trapezuntium Imperatorem David Comnenum cum duobus filiis, qui omnes ad ejus fidem confugerant, cum Ponticæ oræ, & Cappadociæ principibus, liberis, uxoribus Byzantium velut in triumphum duxit, dehinc crudeliſſimè occidit. *Cuſp.*

Eidem mos erat captivis, quorum aut ætate, aut aliam ob rem inutilis videretur ſervitus futura, grandi palo per anum adacto, in terra defixum palum in ſublimè erigere, atque ita, quamdiu fieri poſſet, dato cibo alere. *Fulgoſus lib. 9. cap. 2.*

Cùm Turcæ, anno Salutis reparatæ M. CCCC. LIII. Conſtantinopolim cepiſſent, nullæ ſcelerum facies defuerunt, nulla dignitatis, ſexus aut ætatis habita eſt ratio, ſtupra cædibus, cædes ſtupris additæ. Templa Sanctorum diruta ſunt: oſſa martyrum canibus, & ſuibus objecta. Redemptoris imago iterùm cruci affixa, luto, limoque deformata eſt, cum titulo, Hic eſt Chriſtianorum Deus. Nullum omiſſum ludibrium, quod priùs exercuiſſent Judæi. Princeps tantæ feritatis Mahometus II. ubi ſatis in Sanctorum reliquias, & ſimulacra ſæviit, feritatem convertit in utriuſque ſexus homines, quos omnes more porcorum gregatim occidit, præter nonnullas G liberali forma feminas, quas ad majorem libidinis ignominiam reſervavit. Dolo in delenda nobilitate uſus, palàm pronunciavit. Nobilibus fieri poteſtatem pecunia redimendi ſalutem, libertatemque ſuam. Sed quotquot ex latibulis in apertum prodiere, ad Mahometum adducti, in conſpectu ejus crudeliſſimè trucidati fuere. Caput Conſtantini Imperatoris, intra portas oppreſſi, haſtæ affigi, & ad terrorem Chriſtianorum per omnia caſtra circumferri juſſit. *Dubrav. lib.* 19. Rirelucas, quem alii Lucam Notaram vocant, qui poſt Conſtantinum Imperat. ſecundus erat, cæſo ante oculos majore filio, altero ad illicitos uſus reſervato (duo enim alii ejus filii bello ceciderant) in convivio ante tyrannum ſecuri percuſſus eſt, cum aliis filiis duobus, Iſaacio & Joanne, cùm ſupplici voce tyrannum rogaſſet, ne caſtum puerum Jacobum, quem ſuæ libidini deſtinarat, à paternis complexibus avelleret. Convivatus inde, inde & mero inebriatus contra legem ſui Mahometi, optimates civium (qui in auguſtiſſimum Sophiæ templum veluti aſylum confugerant) eductos, in convivio jugulari juſſit. H *Cuſp.*

SELIMUS Turcarum Imperator, Memphim urbem ingreſſus, biduo integro cum Mamaluchis incerta victoria pugnavit: tertio tandem die, tectis ignem iniici juſſit. Tomumbejus victus urbe exceſſit. Selimus tota urbe circummiſſis præconibus pronunciari juſſit, Mamaluchos, qui intra duodecimam horam ſe dederent, omnes fore incolumes: poſt id tempus deprehenſis nullam fore ſalutis conditionem. Ægyptiis autem, qui latentes proderent, ſe daturum præmia: contrà qui occultaſſent, ſe protinus eos palo infixurum, uxoribuſque, ac liberis venundatis, domos ipſas eſſe concrematurum. Ad cujus edicti famam magnus eorum numerus prodiit, quibus ſtatim catenæ injectæ. Iique omnes poſteà contra juſjurandum, quòd fugæ conſilium cepiſſe dicerentur, in cuſtodia crudeliſſimè trucidati ſunt. Nonnulli, qui fidei, ac amicitiæ jura proditione violare noluerunt, delati ab aliis vicinis civibus, extrema ſupplicia perpeſſi, pro amicis quibus ſe A devoverunt conſtantiſſimè periere. Tomumbejus rex fortiſſimus, reparatis incaſſum viribus, acie victus, deſertus ab omnibus, in paludes confugit, vir meliore fortuna dignus. Ubi cum paulò poſt agreſtes merſum aquis, uſque ad ſummum pectus, atque inter juncos, & arundines latitantem deprehenderunt, vinctumque miſerabili habitu occurrentibus Turcis tradiderunt. Nec multo poſt cum aliquot ducibus, amicorumque præcipuis Memphium perductus eſt. Selimus eum tortoribus tradidit, ut de Campſonis regis theſauris quærerent, qui ſecretiſſimo ſpecu abditi credebantur. Ferunt eum conſtanti animo, ac minaci vultu, nihil præter ſuſpiria, atque horribiles gemitus, in ſummis cruciatibus protuliſſe, ut ea patientia victoris ſævitiam ſuperaret. Poſtero die eum vili camelo impoſitum, ac obſoleta indutum veſte, religatiſque in tergo manibus, ſicuti noxii, ac latrones ſolent, per omnia urbis fora, & celeberrimas regiones circumduci juſſit: ut Ægyptii, quem paulò ante regem adorarant, illum eundem vertente fortuna in extremas præcipitatum miſerias, vitæ ſimul, atque imperii dies fatali laqueo finiturum intuerentur. Cùm verò ad Baſſuellam portam perventum fuit, ei laqueo gulam B fregere, utque tranſeuntibus conſpectui, atque ludibrio foret, unco ferreo ſuſpenſum ſupra fornicem reliquere. Idibus Aprilis anno Salutis humanæ M. D. XVII. Familiæ Ægyptiorum, quæ opibus, aut generis claritudine præſtabat, numero ſupra quingentas, Byzantium migrare juſſæ: magnaque multitudo feminarum ac puerorum ex progenie Mamaluchorum, eodem conductis navibus tranſvecta. In claſſem autem præter theſauros, ac regiam gazam, publica, ac privata opulentiſſimæ urbis ornamenta congeſſit, tanta rapiendi libidine, atque avaritia, ut marmora, eximii operis cælatura, aut coloris varietate commendata, parietibus revellerentur.

OTHO III. Parmenſium tyrannus, qui mortuo Galeacio Vicecomite Parma, Rhegioque Lepidi potitus fuerat, à Magno Sforcia, qui Nicolao Ateſtino Ferariæ principi merebat, victus ſæpè, cùm ex Sforcianis ad XXX. equites cepiſſet, eos contra morem militiæ, compedibus oneratos, duro in carcere quatuor menſes detinuit, adeòque inhumaniter cruciavit, ut media hyeme nudos gelida aqua perfunderet. Sed perrupto demum carcere feliciter aſſurrexerunt, ut eam in- C juriam Othonis cæde vindicarent. *Jovius in vita Magni Sforciæ.*

Columnam oppidum, unde gentis Columniæ nomen deductum videtur, Bonifacius IIX. Pont. Petrum, & Jacobum Columnas armis perſecutus, delevit. *Jovius in Pompejo Columna.*

Anno Salutis humanæ M. CC. LXXXIV. cùm bello inter ſe Genuenſes, atque Piſani decertarent, Genuenſes captis duabus Piſanorum triremibus, cùm Syracuſis in Sicilia appropinquaſſent, atque per noctem extra urbis muros triremium patronos in furcis ſuſpendiſſent, reliquam navalem turmam vendiderunt, precio in ſingulos unius cæpe conſtituto, eam ignominiam longè graviorem quam ipſam mortem arbitrati. *Fulg. l. 9. c. 3.*

Anno Salutis reparatæ M. CCCC. XCIIX. Florentini Butrium aggreſſi, per deditionem oppidum cepere: eo tamen ita capto, omnibus tormentorum magiſtris, ne ampliùs exercere artem poſſent, manus dextras præciderunt, ſuaque cujuſque collo appenſa eos dimiſerunt: quorum pars Venetias veniens ſeſe Patribus commendavit. Patres quoad viverent, ſtipen- D dium ſingulis cum vacatione omnium munerum tribuerunt. Illi manibus ferreis fabrefactis ſe ad artem redituros, & reipublicæ uſui futuros, ſuaſque injurias, ſi Piſas remittantur, vindicaturos, fidem Senatui fecerunt. *Bembus lib. 4. hiſtoriæ Venetæ.*

CAROLUS ultimus Burgundiæ Dux vel ipſarum tragœdiarum portenta ſuperavit. Leodienſes Ludovicum Borbonium antiſtitem ſuum ejecerant, mox reſtitutum, cum legato pontificio in vincula conjecerant. Suſcepit bellum Carolus non minori odio quàm poſtea executus eſt: nam in cogendo exercitu ii, quibus erat id negotium injunctum, una manu exercitum gladium habuiſſe dicuntur, altera ardentem facem. Captam urbem diripuit, ſolo æquavit, in omnes ſine diſcrimine ſexus, & ætatis ſæviit. *Sab. lib. 7. Enn.* 10. Helvetiorum uno die quingentos in deditionem acceptos, partim funibus ordine alligatos in lacu ſubmerſit, partim ſuſpendit. *Fulgoſ. lib. 9. c. 2.*

FERDINANDUS Aragonum, & Neapolitanorum Rex, cùm F. Alfonſo, multos proceres, ac præclaros duces interpoſita fide & ſacramenti religione, in gratiam receptos, quòd anteà Gallicarum partium fuiſſent; violato jure non modo hoſpi- E tii, ſed ipſius regiæ menſæ, crudeliter enecarunt. Eorum cadavera ſiccata, & condita odoribus, in eo habitu, quo vivi fuerant, iiſdemque inſignibus exornata, adſervarunt, atque oſtentaverunt: ut eo exemplo patia timerent, qui ſervire nollent. *Jov. l. 2. Hiſtor.*

OBEGNINUS, & Calatinus Caroli IIX. Regis Galliæ duces in Æmilia, copiis, atque animis aucti, ad Mordanum Forocornelienſium caſtellum proceſſere. Caſtellani perſuaſi à Marino Mercatello, Catharinæ Sforcia præfecto, qui præſidii cauſa aliquot armatos introduxerat, portas clauſerant, ac muro foſſiſque confiſi, Gallos lapidibus, ac ſagittis ſummovere cœperant. Ea injuria accenſi Galli, præſidium, oppidanoſque omnes ad unum trucidarunt: ut neque ſenibus, neque feminis, neque pueris pepercerint. *Jovius lib. 2. Hiſtor.*

Anno Salutis humanæ M. DI. Ludovici XII. Galliæ, & Ferdinandi Hiſpaniæ Regis, regnum Neapolitanum invadere conſtituentium, copiæ, circà Capuam convenere: cumque octavo obſidionis die Fabricius Columna ex vallo, cum Calatiæ Comite Joanne Franciſco Sanſeverino de deditione lo- F qui cœpiſſet, militum in cuſtodiendo negligentia hoſtibus irrumpendi occaſionem præbuit: qui ob prædæ cupiditatem, & ob cladem in oppugnatione acceptam ira perciti, totam urbem multa cum cæde diripuerunt, eoſque, qui ipſorum crudelitati ſuperfuerant, captivos fecerunt. Mulieres ex omni ſtatu, etiam quæ religioni devotæ erant, victorum libidini, & avaritiæ miſera præda fuere: quarum multæ poſteà minimo precio Romæ venditæ ſunt: & fama eſt, aliquas Capuæ minus mortem, quàm honoris jacturam horrentes, alias in puteos, alias in flumen ſe præcipites dediſſe: ac præter alia ſcelera divulgatum eſt, ducem Valentinum Cæſarem Borgiam, qui regii vicarii appellatione caſtra tantummodò cum ſuis nobilibus, & ſtipatoribus ſequebatur, cùm multæ, quæ primum impetum effugerant, in turrim quandam confugiſſent, omnes inſpicere voluiſſe, iiſque diligenter inſpectis, XL. omnium formoſiſſimas retinuiſſe. *Guic. l. 5.*

Bello Neapolitano Maſius Barreſa, Ferdinandi Regis Dux Longobuco oppido (quòd antiquorum Themeſen fuiſſe ſuſpicantur) capto, Nicolaum Clauccoſſum, Joann. Ande- G gavenſis partes foventem, ſerra per dorſum, lumboſque adacta medium ſecari juſſit. Idem S. Gregorii arce occupata, Rogerium Orilam equitem Neapolitanum, duoſque item alios nobiles viros è ſummis arcis pinnaculis in rupes maximè præruptas deiici curavit. Parta tandem pace, Neapoli agens, obvium cùm haberet Joannem Spathaſorum, hominem ſibi valde infeſtum, qui ſalutandi regis gratia in arcem ibat, gladio obtruncavit. Qua è re in carcerem conjectus aliquot poſt annos illuvie, atque pedore obſitus illic obiit, vir in re bellica clariſſimus, & dempta ira, omni virtutum genere conſpicuus, dignus qui ſi non magis grato, minus ſaltem ſevero principe uſus eſſet. *Pontanus lib. 2. belli Neapol.*

Capta à Ferdinando II. Aragonio arce Rhegii, fabri cujuſdam lignarii proditione, Galli fermè omnes à muro præcipitati, quòd de deditione, dum cœptas perficerent munitiones, ſimulanter egiſſent; ludificatique diù crebris colloquiis regem, aliquot demum milites, incautè ante arcem obſervatos, tormentis repentè emiſſis interfeciſſent. *Jov. lib. 3. Hiſt.* H

Pomelianum ad cryptam Pauſilypi montis oppidum Galli, quòd ab Aragoniæ factionis hominibus portæ claudebantur, nullo negotio expugnarunt, omneſque ad unum, ut nec feminis, nec pueris parceretur, interfecere: & cùm abditas res quærerent, latebras omnes ſedulò ſcrutati quoſdam, qui in furnos metu mortis ſe conjecerant, injectis ignibus concremarunt: alios in latrinis latitantes haſtis, atque lapidibus demerſos fœdiſſimo mortis caſu pernecarunt. *Jov. lib. 3. Hiſtor.*

BREXIA à Maximil. I. Imp. & Galliæ Regis Militibus anno 1512. capta eſt. Prælium à ſecunda diei hora uſque ad veſperam protractum: urbs magna ex parte direpta: matres familias, & puellæ ſuos in domibus ante parentum, & maritorum ora, quos in vincula hoſtes conjecerant, paſſim violatæ: virgines ſacræ è templis, atque aris, & Deorum imaginibus, quas amplexebantur, abſtractæ, ad libidinemque abductæ. *Bemb. l. 12. Hiſt. Ven.*

Eſt in Vicetinis montibus Patavium versùs concameratio,

antiquitus effodiendis ad ædificationes lapidibus facta A ingentis magnitudinis, ut terna millia paſſuum introrſus pertineat : in eam perfugii cauſa, quòd os anguſtum habet, atque id unum tantùm, ut facilè defendi poſſe videatur, Gallis, & Maximiliani Imp. militibus appropinquantibus eorum finium incolæ cum uxoribus, & liberis & ætate confectis, propè ad ſex mille ſe abdiderunt. Eos cùm expugnare Galli non poſſent tametſi perfractis, & dejectis obicibus ſe intuliſſent (loco enim perobſcuro, & viarum flexionibus cùm ambiguis, tum innumerabilibus, aqua etiam, quæ in eo ſpecu ſtagni inſtar eſt, muniebantur) plurima ſtipula internè ſuccenſa magnum eorum nummerum, fumo cameras implente, interfecerunt. *Bembus lib.10.Hiſt.Ven.*

Maximiliani I. Imper. militum crudelitatem in Alba regia Ungariæ urbe diripienda pete ex *Bonfinius lib.* 1. *Dec.* 5.

Ea nocte, quæ expugnationem ab Caroli V. Exercitu Romanam ann. 1527. prid. Kalend. Majas ſecuta eſt, nihil unquam lugubrius, aut funeſtius fuit Romanis pariter, & inquilinis. Editæ enim omnibus in locis ad ſatietatem in nihil tale meritos inuſitatæ cædes : nobiliſſimi ſenes pariter, ac juvenes tormentis excruciati : violatum ubique matronarum, & B virginum decus ; Virgines in ipſis templis conſtupratæ : Cardinalium porrò, principumque domus tanta furentium rabie, ferro, atque ignibus expugnatæ, ut nec regum legatis parceretur ; nemoque demum ex his, qui latebra gladios effugerint, ſit ſervatus, niſi vitam, ac libertatem univerſa bonorum ſubſtantia redemerit. Feritate, & truculentia terribilis erat Germanus, ſed à primo impetu, quo armatos deleverat, à gladiis temperabat, uſque adeò remiſſa animi ferocia, ut exiguo facilè precio libertatem captivis daret, & præſentibus tantùm ſpoliis, & compotationibus lætaretur, verteretque demum furorem in templa & antiqui operis ſtatuas, deformando cuncta, atque evaſtando, quòd plerique eorum irriſis pontificum legibus, Lutherana dogmata ſequerentur. Hiſpani autem aſtuta, & implacabili crudelitate acerbiores, ut abdita, arcanaque familiarum eruerent, tormentis, atque ſuppliciis in nobiliſſima corpora graſſabantur, tanta auri cupiditate, ut Julii Pontificis cadaver, multa exeſum carie, eruere, & annulo ſpoliare non dubitarint. Sed ejus etiam gentis facinora Itali, Brutiique præſertim decerptis vitiis, nec ullis omnino admiſtis virtutibus facilè æquabant : & eò gravio- D re cum invidia, quòd in obſequium barbarorum longè promptiſſimi, æmulatione ſcelerum ab amore, charitateque communis patriæ diſceſſiſſent. *Jov. in Pompejo Columna.*

Christianus II. Danorum Rex, Sveciæ regno per interregnum inhians, Stocholmia fruſtra obſeſſa, cùm ſe in urbem ſimulatis induciis venturum, & cum Stenone Sture regni præſide de pace acturum diceret : eo nomine obſides miſſos ſtatim in vincula conjecit, & in Daniam abiit. Quadriennio poſt, miſſo exercitu Sveciam denuò invadit : cæſoque in prælio Stenone, Stocholmiam rurſus obſidet, non quia capiendam armis ſperaret, ſed ut expectaret occaſionem, qua illam inſidiis circumveniret. Erat in urbe Chriſtina, vidua Stenonis : hæc principem locum voluntate civium retinebat : Hanc hoſtis ſollicitat ad honeſtas conditiones, nihil non ſuſcepturus, quodcunque pactorum proponeretur. Chriſtina, & ſenatus Holmenſis reſpondent, populo Holmenſi non opus eſſe aliquibus conditionibus, qui liber ſit, & ſuo jure vivat, ſitque armis longè potentior : tamen ſe admittere conditiones æquas, quò pax in reliquum ſit. Deinde capita D proponunt conventæ pacis : ut rex patrias leges ſibi inviolatas ſervet, civium libertatem infractam velit, offenſas remittat omnium, qui arma contrà ſuſcepiſſent, Danus ut fidem certiſſimam faceret, ſe hæc capita rata habiturum, addit longè etiam plura, plena moderationis, & clementiæ in populum Holmenſem. Itaque convenitur : interponitur religio ſacramenti, diplomata conſcribuntur, & adhibentur omnia inſtrumenta, quibus pacta, & fœdera publicè ſuſcepta ad poſteritatem communiuntur. His artibus perſuaſi cives hoſtem intra mœnia recipiunt, auctoritatemque urbis ſecuta eſt magna pars regni. Hactenus eſſe legitimus rex credebatur : & Danus in ſuſcepta diſſimulatione duravit, donec ſe, & militem recrearet, & arcem communiret. Nec diutius moratus, vocat ad conſilium Danos, aperit eis voluntatem cædis patrandæ in cives : rationem quærit, quemadmodum cædes facta putetur ſe ignaro, & invito. Fuerunt quibus placeret ſeditionem quaſi militarem excitari in urbe : ſic poſſe cenſebant fortunas diripi, & necari cives, ut integrum regi ſit diſſimulare imperatum ſcelus. Non placuit ea ſententia multis. Nam per ſeditionem excitatam, E liberum fieri ajebant etiam civi reſumere arma : quod ſi fieret, Danos primos futuros in deſperatione ſalutis. Magis id placere, ut rex publicè convivia inſtituat per omnes ordines : eos verò qui potentia, & nobilitate præirent, vocaret in arcem : ita ſpecie benevolentiæ congregatos, & hoſpitali jure ſecuros, futuros in arbitrio regis. Probavit Danus conſilium, etſi à diſſimulatione priori excludebatur ſceleris imperati. Inſtruit convivium, pro regio luxu, ipſe ſe effingit ad omnem ſpeciem comitatis, & hilaritatis. Triduo toto excepit convivas eodem apparatu. Jamque aderat dies cædi deſtinatus, cum immittuntur ſatellites, & comprehendunt convivas, coniiciuntque in carcerem in diem ſequentem : portæ urbis communiuntur, præſidiaque intus per regiones diſponuntur, contra civilem vim. Tibicines autem à prima aurora edidere terrificum clangorem per totam urbem. Milites juſſi adeſſe graves armis, qui ad omnem feritatem componerent vultum : deinde hoſtili fremitu, & armorum concuſſione timorem omnibus incuterent perdendæ urbis. Videre etiam erat tormenta ænea diſpoſita, tota via, quæ ab arce ducit ad forum : quaſi privata, & publica omnia dejectura, mixturaque ruinas cum civibus. Producun- F tur duo Epiſcopi, Vincentius Scharenſis, & Matthias Strengenenſis, inter medios carnifices : orant fieri ſibi poteſtatem ſacerdotis, cui faciant exomologeſin. Sed is illis negatus eſt. Itaque abiiciuntur carnificum manibus in pavimentum, & proſtrati truncantur capite. Poſt hos, proceres producuntur, quicunque pro patria aſſerenda ſe ſtrenuè geſſiſſent. Inde ab arce trahitur ſenatus Holomenſis, & totus trucidatur. Proponitur poſteà tabula proſcriptionum. Hic ſatellites diſcurrunt per urbem, & proſcriptos perquirunt, qui omnes protracti fuerunt : nam in urbe clauſa remedium fugæ nullum erat. Trucidatis omnibus, qui deſignati erant, fit impetus per militem in promiſcuam plebem, quæ ad crudele ſpectaculum confluxerat, & paſſim ceditur. Invaduntur quoque domus, & inermia corpora ad carnificinam protrahuntur. Cùm vero plurima pars civium ſeſe in obſcura loca abdidiſſet, Danus edicto proponit è domo conſulari impunitatem omnibus. Infelices cives prodeunt in publicum. In quos priore exemplo intermittit ſatellites, & fit cædes toto die, & uſque in noctem ſequentibus etiam diebus continuis reli- G quiæ cæduntur, Joannem Magnum ſuffixit cruci nudum membris omnibus. Is diu de cruce locutus, ſuam innocentiam Deo permiſit, multa etiam ad cives queſtus de ſtatu rerum, quo Danum irritavit. Quare miſit ſatellites : qui virilia abſcinderent : quæ abſciſſa, projecta ſunt in faciem pendentis. Latus poſteà eſt tranſverberatum tam vaſto vulnere, ut manibus rimarentur cor : quòd extractum, & ipſum abiectum eſt in faciem mortui. Ribingam familiam præcipuè perſecutus, cùm deeſſet jam cædi firma ætas, impuberes comprehendit, & coma conſtricta in nodum, ſuſpendit è cataſta, & immiſit ſpiculatores, qui cervices puerorum præſcinderent truncis corporibus decidentibus in terram. Corpora deinde omnia occiſorum comportari in forum juſſit, ſubjecitque oculis, & ſatiavit ferum animum ſuo immani ſcelere. Triduo jacuerunt trunca corpora, volutata, & fœdata cruore ſuo, poſt per cloacarios extra urbem ejecta. Cadaver Stenonis extraxit ſepulcro ; neque ſub oculos reddito, tanta rabie tyrannus correptus eſt, ut illud morſu appetiverit, canis ſepulcralis more. Poſthumum etiam Stenonis, eodem menſe H natum, ſepultumque, erui juſſit. Omnia cadavera congeſta cremata fuerunt, & cineres diſſipati. Exhauſta ad hunc modum urbe viris, ad rapinas converſus, viduas, & orbos parentibus liberos, omnibus fortunis ſpoliavit : nulli rei profanæ & ſacræ parſum fuit. Toto eo tempore quo tyrannus iſta perpetravit, portas urbis tenuit clauſas, ne qua fama cædis ad provinciam perveniret, & bellum moveretur pro ſcelere vindicando. Incendio etiam abſtinuit, quia latere non potuiſſet. Secura enim omnia, & quieta eſſe volebat ſibi jam ad fugam ſpectanti : quod unum videbat præſidium ſupereſſe impunitati ſceleris perpetrati. In itinere in monaſterium divertit, cui Novæ valli nomen eſt, Monachi loci tyrannum benignè excipiunt, & omnia miniſtrant pro facultate : ſimulabat etiam tyrannus gratam ſibi eſſe eam promptitudinem : die quinetiam feſto (is erat purificationis Virginis) adiverat templum, ſacrum more Chriſtiano ſpectaverat, at vix digreſſos ab altaribus monachos juſſit comprehendi, iniici vincula, & in profluentem abiici. Abbas fortè ex-

pedive-

pediverat manus, & enatabat : cùm miniſtri ſceleris adnavi- A gantes, hominem vulneribus appetiverunt, donec is ſanguine, & viribus defectis mergeretur. Sic tyrannus cæde, & præda opimus in Daniam venit. Præſidium quod urbi Holmenſi impoſuerat (reliquiæ ſcilicet virilis ſexus in perdita urbe) excurſionibus, rapinis, cædibus, & omni genere maleficiorum afflixit Sveciam. His malis patriæ excitatus Goſtavus Erichſon obſes, qui ex cuſtodia nuper profugerat, rem ſupra ætatem auſus, vindicem ſe profitetur patriæ pereuntis. Et quarto demùm anno poſt initium bellum, mutato habitu, & plebeii hominis veſte ſumpta, circuit Sveciam, & populares ad arma capienda excitavit. Militem legit ex Dalecarnis, bellicoſiſſima totius Sveciæ gente. Montes enim habitant, qua Svecia ad Norvegiam vergit ; apud quos etiam fodinæ ſunt argenti, & æris, quarum occaſione in metallis fodiendis, conflandiſque exerciti, indurantur ad præcipuum robur : id quod peperit ipſis nomen, ut Dalekarli vocentur. Dale enim vallem ſignificat, Karli autem viros, cum emphaſi eos, qui præſenti animi vigore præſtent. Adde Dalekarlis præterea ingentes ſpiritus, opes quas plurimas habent : ſuntque ad injuriam propulſandam ſupra omnes irritabiles. Hoc milite uſus aggre- B ditur præſidium Danorum, quod Aoroſiæ civitati impoſitum erat, atque deturbat. Goſtavum Epiſcopum acie congredi auſum profligat, & in Daniam expellit. Danus rex domeſtico tumultu impeditus, & non multò poſt è patria ob tyrannidem ejectus, ſuppetias ſuis ferre nequivit. Stocholmia proinde expugnata, Danis è Svecia ejectis, Dux militibus, & ſociis ampliſſimum donativum dedit : cum Germaniæ civitatibus vetera fœdera renovavit, mare rurſus aperuit. Ob quæ merita patria, concordibus omnium ordinum Sveciæ, & Gothiæ ſuffragiis, invictum principem Goſtavum ſibi regem legit. *Scriptor Excidii Holmenſis.*

Hoſtes mortuos.

☞ *Vide Tit. Spolia hoſtium honorifica, Calvæ, Cadavera.*

Palæſtini in monte Gelboe inſigni victoria contra Iſraelitas potiti, Saul regi cum tribus filiis cæſo caput abſciderunt, idque in omnes Palæſtinorum urbes miſerunt, rei præclarè geſtæ indicium. Arma in æde Aſtaroth, cadaver in muris Beth- C ſanis (quæ Scythopolis aliàs dicitur) ſuſpenderunt. At Jabenſes Galaaditæ cùm audiviſſent, quidnam Saul feciſſent Palæſtini, eorum fortiſſimi quique nocte tota profecti Sauli, ejuſque filiorum corpora de Bethſanæ muris per vim abſtulerunt, Jabemque reverſi, ea cremarunt ; & oſſibus ſub nemore Jabe ſepultis, ſeptem diebus regem ſuum fletu, & jejuniis luxerunt. 1. *Regum* 31.

Cùm in bello Thebano excitato inter duos fratres Eteoclem, & Polynicem uterque fratrum cecidiſſet, & ad Creontem fratrem Jocaſtæ regnum perveniſſet : noluit Creon ſepeliri Polynicem, alterum fratrem : Græcos quoque, qui cum Polynice venientes in bello ceciderant, inſepultos abiici præcepit. Adraſtus ergo rex Argivorum, ſimul & matres optimatum, qui ante Thebas occubuerant, profecti Athenas ſupplices fiunt Theſeo regi Athenienſi, pietati & juſtitiæ ſemper ſtudenti, ut ipſe vel precibus, vel vi etiam impetret apud Creontem regem Thebanum, ut ſecundùm communem legem totius Græciæ, mortuos ſibi ſepelire liceat. Cùm verò Theſeus precibus nihil æqui, bonique à Creonte impetrare poſſet, & tamen ſupplices juvare pium, & honeſtum eſſe ſtatueret : D illato Thebanis bello, & cæſis iis felici prælio mortuos Argivis ſepeliendos tradidit. Ubi Evadne, uxor Capanei, percuſſi fulmine propter linguæ petulantem temeritatem, & blaſphemiam in Deos, impatientia doloris victa, ſpectante ſene patre Iphide, ex alta petra in rogum mariti deſiliit. *Euripides in ſupplicibus.*

Achillis quam barbara crudelitas erga Hectorem propter interfectum Patroclum amicum? Currui alligatum ter circùm urbis mœnia raptavit, & Trojanos captos ad tumulum ejus jugulavit. Dyctes libro tertio. *Homer. Iliad.* 22. ſic ſcribit:

Αμφοτέρων μετόπιϑε ποδῶν τέτρηνε τένοντε
Es σφυρὸν ἐκ πτέρνης, βρέυς δ' ξῶπτον ἱμάντας,
Ex δίφροιο δ' ἔδησε, κάρη δ' ἕλκεϑαι ἔασεν. *id eſt.*
Qua poſt ambo pedes calcaneus imus adhæret
Talo transfodit nervos, ac bubula lora
Inſeruit, corpus de curru deligat alto;
Pendulum at intereà trahitur caput.

Penthesileam Amazonum reginam cum exercitu Trojanis ferentem ſuppetias, Græci oppreſſere. Achilles interfectam E ſepelire cupiens, à Diomede prohibitus eſt. Is namque percontatus circumſtantes, quidnam de ea faciendum eſſet, conſenſu omnium pedibus attractam in Scamandrum præcipitavit. *Dictys l.4.*

Cyrus rex Perſarum, dum Sargapiſem Tomyris Maſſagetarum reginæ filium, bello captum ad mortem impuliſſet, irata mulier contractis copiis ita conflixit, ut maximam inimicorum partem cum ipſo rege occiderit. Mortui caput in utrem humano cruore plenum dimiſit, his verbis inſultans. Filii mei ſanguinem hauſiſti, & meum ſitiviſti, Cyre; at ego te cruore ſaturabo. *Herod.l.2.*

Perſarum rex Cambyſes, Cyri filius, cùm Amaſis Ægyptii regis filiam in matrimonium petiiſſet, Amaſis veritus, ne ea potitus, non uxoris loco, ſed in concubinarum numero haberet, Nitetim filiam Aprii regis à ſe interfecti pro filia ei miſit. Quam rem Cambyſes cùm cognoviſſet, ira exarſit, atque cum ingenti exercitu in Ægyptum deſcendit. Ubi cum defunctum Amaſim inveniſſet, filium ejus Pſammenitum regno ejecit, ipſius Amaſis corpus ſepulcro eruit : & tanquam viveret, verberibus cædi, acutiſque ferramentis totum pun- F gi, ac deinde in foro comburi fecit. Ajunt tamen Amaſis cadaver illud non fuiſſe, ſed cujuſdam juvenis, quem vivus Amaſis eò tumulari curaſſet, veritus, ne quid tale ſibi poſt fata eveniret. *Herod.l.3.*

Poſt pugnam ad Thermopylas commiſſam, Xerxes rex inter cæſos tranſiit, ubi erat Leonides. Quem cùm audiſſet Lacedæmoniorum regem, eundemque ducem eſſe, juſſit abſciſſo capite in crucem tolli, ejus virtuti maximè inſenſus; cùm alioqui ex omnibus hominibus Perſæ ſoleant viros in re militari præſtantiores honore afficere, licèt hoſtes fuerint. *Herodotus lib.7.*

Bagoas Ægyptius eunuchus, cùm Artaxerxem (quem Ochum cognominarunt veteres) maximo odio, ob interfectum in Ægypto Apin proſequeretur, primò inſidiis circumvenit : cùmque crudeliſſimè hominem occidiſſet, cadaver ejus felibus dilaniandum, devorandumque projecit : poſtmodùm ut crudelitate animum ſatiaret, ex femoribus ejus manubria gladiorum fieri curavit. *Ælian. libro 6. de Varia hiſtor.*

Cæſis ad Thebas Archivorum optimatibus, Adraſtus ſolus effugit, Interfectorum cadavera cùm Thebani inſepulta G abiicerent, neque ſepultura dignarentur : liberi cæſorum ad aram Miſericordiæ confugientes, parentum cadavera repoſcebant. Athenienſibus exercitum admoventibus Thebani cadavera reddiderunt. Quo tempore & Evadne Capanei uxor ſemet in rogum abiiciens, unà cum viri cadavere combuſta eſt. *Diod.l.4.cap.6. Ovid. in Metamor.*

—— Probibentem buſta Creontem
Atticus Ægides rupit Marathonide quercu.

Olympias Alexandri Magni mater, Jolam pincernam (qui Alexandro venenum miniſtraſſe ferebatur) mortuum, & jam tumulatum refodi juſſit, ac refoſſum minutatim diſcerpi. *Plut. in Alex.*

Lysander Spartanorum dux, ad Ægos flumen Philoclem Athenienſem de claſſis prætoribus unum, & Athenienſem ad quatuor millia dedititiorum occidit, ac mortuis terram iniici vetuit ; cùm & Perſis, qui ad Marathonem ceciderant, Athenienſium, & iis Lacedæmoniis, qui ad Thermopylas mortem oppetierant, Xerxis conceſſu ſepultura contigerit. *Pauſanias in Bœoticis.*

Antigonus rex, crudelis in Alcetæ Perdiciæ fratris cadaver fuit. Traditum enim ſibi à Termeſi incolis, & excrucia- H tum per triduum, & putrefactum, inſepultum reliquit. *Diodorus lib.18.*

Philiſtus ex Japygia ſuppetias Dionyſio à Dione Syracuſis obſeſſo ferens, pugna navali victus, vivus in poteſtatem hoſtium venit. Syracuſani thorace ipſi exuto, denudatoque illuſerunt jam ſeni, inde capite dempto, pueris corpus tradidere, ut per Acradinam traherent id, & præcipitarent in Latomias. Timæus ex claudo pede ait, pueros Philiſti cadaver religatum per urbem rapuiſſe, irridentibus iis, qui contemplabantur cruce trahi ab Syracuſanis eum, qui non debere dixerat ex tyrannide Dionyſium citato fugere equo, ſed crure captum. *Plut. in Dione.*

Hannibal Pœnus, inſpecta humani ſanguinis plena foſſa, pulcrum in ea eſſe ſpectaculum dixit. *Fulgoſus libro* 10. *capite* 11.

Idem in flumine Gela corporibus Romanis ponte facto, exercitum traduxit. *Val. Max. l.9. cap.2.*

Lam-